DE LATINITATE LIBELLI

QVI INSCRIPTVS EST

PEREGRINATIO AD LOCA SANCTA

DE LATINITATE LIBELLI

QVI INSCRIPTVS EST

PEREGRINATIO AD LOCA SANCTA

THESIM

FACVLTATI LITTERARVM IN PARISIENSI VNIVERSITATE

PROPONEBAT

Joseph ANGLADE

QVI FVIT OLIM MAGISTER PRAEPOSITVS COLLOQVIIS LINGVARVM ROMANARVM
IN VNIVERSITATE REDONENSI
NVNC PROFESSOR IN LYCAEO BVRDIGALENSI

PARISIIS

Apvd A. FONTEMOING, bibliopolam
Via dicta Le Goff, 4

1905

DOCTISSIMO VIRO, OPTIMO MAGISTRO

MAXIMILIANO BONNET

REVERENTISSIMVS DISCIPVLVS SALVTEM

« Mihi hoc opus aggredienti subit cogitatio animum ne post uestigia ceterorum in trita uia quasi ad gradum incedere neque quicquam noui uel inauditi adferre uidear. Iam diu enim doctissimi uiri, inter quos E. Wölfflin in ephemeride quae inscripta est *Archiv für lateinische Lexikographie*[1], et P. Geyer[2], cum in eadem ephemeride[3], tum in libello, recentissime etiam in praefatione suae editionis materiem quasi praegustauerunt et optimum quidque praelibauerunt. Vterque, ut ceteros omittam, quid peculiare insit linguae qua obscura illa Aquitana, ut putatur, mulier usa est, et sagaciter animaduertit et diligenter enucleateque explanauit; ut, antequam nouam hanc indagationem temptarem, et ipse mente perpenderim nonne noster labor irritus fieret.

1. IV, 259-276.
2. Doctissimus ille uir ea humanitate mecum usus est ut plagulas editionis correctas, editione nondum prolata, mihi libentissime communicauerit (ann. 1897) : de quo hic gratiam ei refero debitam.
3. IV, 611-615.

» Iam uero haud inutile forsitan sit opus omnia quae de Siluiae sermone scripta sunt in unum congerere et in optimo quidque lumine collocare. Altera etiam est causa cur sagacissimis superiorum disquisitionibus ab incepto non remotus sim : fit enim aliquoties ut prudentissimus quisque aliqua praetereat, et re uera quaedam, rara quidem et plerumque parua fateor, quae ceteros fugerant ipse animaduerti. »

His uerbis forsitan recorderis me usum esse, dum ante tres annos hoc opus iam confectum tibi dicatum esse uolui. Nunc autem noua et grauior est causa cur rem iterum aggrediar. Dum enim nouo operi totis uiribus incumbo, Aquitana Siluia, nomine et patria mutata, Etheria Gallaeca facta est.

Doctissimo enim uiro Ferotino[1] opera obscuri abbatis Valerii (VII° saeculo) euoluenti contigit nomen et patriam scriptoris indagare. Cuius conclusionibus, in ephemeride quae *Revue des Questions historiques*[2] inscripta est expositis, nulla esse causa uidetur cur non omnino adsentiamur. Epistulae abbatis Valerii non me fugit nullum certum inesse indicium quo patria Etheriae exacte definiatur; sed Gallaeciam eam esse omni modo ueri simile[3].

Constat enim ex prima Epistulae parte Etheriam ab « occiduae plagae extremitate », ut uerbis Valerianis utamur, ad loca sancta esse profectam, idemque parte ultima confirmatur. Quatenus nunc disquisitione grammatica quae alio modo demonstrata sunt corroborentur hoc opere exponere conabimur.

De Sermone « Siluiae », quae tunc dicebatur, doctus uir Americanus[4] iam ante tres annos disseruit; ille autem,

1. Idem mihi per litteras interroganti humanissime responsum dedit : ei quoque gratias debitas ago.

2. Cf. *Ind. libr.*

3. De quo consulas uelim scriptum et notulas Ferotini.

4. Bechtel, cf. *Ind. libr.*

cum omnia quae quoquo modo in Peregrinatione adnotatione digna esse uiderentur diligenter excerpsisset, nihil explicuit ac ne quicquam quidem explicare temptauit : hoc erat tamen opus, cum, indicibus a doctissimo uiro P. Geyer in editione accuratissime confectis, « studium » quae mera esset descriptio et enumeratio in irritum caderet. Ne mireris ergo commentatorem anonymum, in ephemeride a Wölfflinio edita[1] scripsisse praecipuas quaestiones scriptorem nullo modo aggressum esse.

Itaque ad rem transeamus. Praecipuos libros[2] quos attenta manu uersaui in indice qui subsequitur in unum congestos inuenies. Ex multis eorum magnam me percepisse utilitatem immerito negauerim. Quanto uero maiorem perceperim ex his praecipuis duobus libris quos H. Gœlzer de Hieronymi Sermone, tu autem de Sermone Gregorii Turonensis scripsisti alii uiderint. De quibus quid sentiam duae res impediunt quin apertius dicam : te enim ea esse mente satis noui quae laudes uanas et inanes existimet et a se omnino remoueat; de illo quidem et idem

1. *A. L. L.*, XIII, 592.

2. Nonnullos eorum quanti faciam sit uenia paucis dicendi. Recentissime doctus uir Valentin de doctrina Sancti Prosperi Aquitani et eleganter disseruit et miram scientiam rerum illius temporis ostendit. Quae uero de sermone scriptoris produxit aut nullius ea esse momenti ipse non sensit aut etiam ridicula, quadam rhetorica arte, a qua res maxime abhorrere debet, adhibita, exposuit. Multo diligentius de Sermone Marcelli Empirici disseruit doctus uir S. Chabert et idem recentissime noua de eodem scripsit (in *Ann. de l'Université de Grenoble*, 1901) : sed apud eum quoque frustra requiras omnia quae in uerbis cum litteris suffixis informandis, quae in usu praepositionum adnotatione digna esse uideantur. Adde quod saepius, et in primis in recentiore libello, quasi incunabula domestici sermonis iam apud Marcellum informata esse falso existimauit. Fredegarii Chronicorum linguae quid sit proprium dilucide diligenterque exposuit nuper doctus uir Haag; multa uero ab eo praeterita; quaedam etiam male explanata sunt, ut ipse demonstraui (cf. infra, ind. libr. sub nomine Haag.) Recentissime denique doctus uir Bellanger Sermonem Antonini Placentini attente perscrutatus est et aliquid noui ad latinam linguam qua usi sunt Itali VI° saeculo attulit. Non satis multa tamen exempla, meo quidem iudicio, e ceteris « italis » scriptoribus ad rem clarius explanandam excerpsit.

ualet, et, cum ipse perpendere debeat quanti sit hic labor, ne uidear iudicis seueritatem quoquo modo minuere uoluisse a laudibus temperandum. Id unum restat ut rebus non uerbis ostendam quid his optimis libris debeam. Vale.

Scribebam Burdigalae a. d. IV Id. Mart. MDCCCCV

INDEX LIBRORVM

Apringius de Béja, ed. Dom. M. Férotin, Paris, 1900 [Bibl. Patrol. I].

Archiv für lateinische Lexikographie... herausgegeben von Ed. Wölfflin. [Sic designatum *A. L. L.*]

Bailly. — *Dictionnaire grec-français,* 1re édition, Paris, 1895.

Bayard (L.). — *Le latin de saint Cyprien* (Thes. Paris.), Paris, 1902.

Bechtel (Ed. A.). — *Sanctae Siluiae Peregrinatio, the text and a study of the latinity,* Chicago, 1902.

Bellanger (L.). — *In Antonini Placentini Itinerarium grammatica disquisitio,* Parisiis, 1902.

Bellanger (L.). — *Étude sur le poème d'Orientius,* Paris, 1902.

Bonnet (Max). — *Le latin de Grégoire de Tours,* Paris, 1890.

Bourciez (E.). — *De praepositione « ad » casuali in latinitate aeui merouingici,* Parisiis, 1886.

Bourciez (E.). — *Les mots espagnols comparés aux mots gascons,* in *Bulletin hispanique,* 1901.

Carnoy. — *Le latin d'Espagne d'après les inscriptions,* Louvain, 1903, in *Museon.*

Cassiani Opera, ed. M. Petschenig (*Corp. script. eccl. lat.,* XIII, XVII).

Chabert (S.). — *De latinitate Marcelli Empirici,* Parisiis, 1897.

Claudii Hermeri Mulomedicina Chironis, ed. Oder, Lipsiae, 1901.

Corpus Inscriptionum Latinarum, vol. II, cum Suppl., Berolini, 1892 [C. I. L.].

Cypriani Galli Opera, ed. R. Peiper. (*Corp. script. eccl. lat.,* XXIII.)

Diez. — *Grammatik der romanischen Sprachen,* Bonn, 1882.

Draeger. — *Historische Syntax der lateinischen Sprache,* 2te Auflage, 2 vol., Leipzig, 1878-1881.

DUBOIS (A.). — *La latinité d'Ennodius*, Paris, 1903.

Ennodii Opera, ed. HARTEL (*Corp. script. eccl. lat.*, VI).

FÉROTIN (Dom. M.). — Le véritable auteur de la *Peregrinatio Siluiae :* la vierge espagnole Etheria, in *Revue des Questions historiques*, 38e année (1903), p. 367 sq.

FÉROTIN (Dom. M.). — *Recueil des Chartes de l'abbaye de Silos*, Paris, 1897.

FÉROTIN (Dom. M.). — Le *Liber Ordinum* en usage dans l'église wisigothique et mozarabe d'Espagne du ve au xie siècle. Paris, 1904 (*Mon. Ecclesiae Liturg.*, vol. V).

Formulae Merouingici et Karolini aeui (*Mon. Germ. Hist.: Legum* sect. V).

GEORGES. — *Lateinisch-Deutsches Handwörterbuch*, 7e Auflage, 1879, 2 vol. in-8°.

GEYER (P.). — *Kritische Bemerkungen zu Sanctae Siluiae Aquitanae Peregrinatio ad loca sancta*. Program. Augsburg, 1890.

GOELZER (H.). — *Étude lexicographique et grammaticale sur la latinité de saint Jérôme*, Paris, 1884.

GOELZER (H.). — *Grammaticae in Sulpicium Seuerum obseruationes*, Parisiis, 1883.

GORRA (Egidio). — *Lingua e letteratura spagnuola delle origine*, Milano, 1898.

GRŒBER (G.). — *Vulgärlateinische Substrata romanischer Wörter*, in *A. L. L.*, I, II, III, VI (Nachtrag).

Gromatici Veteres, ed. BLUME.

HAAG (O.). — *Die Latinität Fredegars*[1], Erlangen, 1898.

HUEBNER. — *Inscriptiones Hispaniae Christianae*, 1871.

KOFMANE (G.). — *Geschichte des Kirchenlateins* (Erster Band, 1-2 Hefte). Breslau, 1879-1881.

Leges Wisigothorum, ed. ZEUMER. (*Mon. Germ. Hist.*, ed. min. *Leg.* sect. I).

KŒRTING. — *Lateinisch-Romanisches Wörterbuch*, 2te Auflage, Paderborn, 1901.

LINDSAY (W. M.). — *The Latin language*, Oxford, 1894.

MACÉ (A.). — *De emendando Differentiarum libro qui inscribitur « De proprietate sermonum »*, Paris (s. d.).

1. Sit uenia hic commemorare me libellum in *Revue de philologie française*, 1900, commentatum esse et XVII paginis addenda et corrigenda attulisse.

Meyer-Luebke. — *Grammaire des Langues romanes,* 3 vol.

Menendez y Pidal. — *Manual elemental de gramática histórica española,* Madrid, 1904.

Munthe (Ake W:son). — *Anteckningar on Folkmålet i en Trakt af vestra Asturien,* Upsala, 1887.

Munthe (Ake W:son). — *Ein neuer Beitrag zur Kenntniss der asturischen Mundarten,* in *Zeitschrift f. rom. Phil.*, XXIII, p. 321.

Mohl (G.). — *Introduction à la chronologie du latin vulgaire* (Bibl. de l'École des Hautes Études, fasc. 122), Paris, 1899.

Monaci. — *Testi basso-latini e volgari della Spagna,* Roma, 1891.

Neue (F.). — *Formenlehre der lateinischen Sprache,* 2te Auflage[1], Berlin, 1875-1877, 3 vol.

Paulini Petricordiae Opera, ed. Petschenig. (*Corp. script. eccl. lat.*, XVI).

Patrologie latine [Sic designatum : P. L.].

Pirson. — *La langue des Inscriptions latines de la Gaule,* Liège, 1901.

Priebsch (J.). — *Altspanische Glossen,* in *Zeitschrift für rom. Phil.,* XIX, 1-40.

Quillacq. — *Quomodo latina lingua usus sit sanctus Hilarius,* Tours, 1903.

Schepss. — *Die Sprache Priscillians* (*A. L. L.*, III, 309 sq.).

Schuchardt (H.). — *Vokalismus des Vulgärlateins,* 1866, 3 vol.

Schwan-Behrens. — *Grammatik des altfranzösischen,* Leipzig, 1899, 4te Auflage.

Seelmann. — *Die Aussprache des Latein,* Heilbronn, 1885.

Sittl. — *Die lokalen Verschiedenheiten der lateinischen Sprache,* Erlangen, 1882.

Sulpicii Seueri Opera, ed. Halm (*Corp. script. eccl. lat.,* I).

Thesaurus linguae latinae, Lipsiae, 1900-1904, vol. I, vol. II fasc. I-VII.

Virgilii Maronis grammatici Opera, ed. Huemer, Leipzig, 1893.

Wattson. — *The style and language of St Cyprian* (*A. L. L.*, IV, p. 189-319).

1. Tertia editione, cuius *Indices* nuper demum editi sunt, uti non potui.

EDITIONES

GAMURRINI (F.). — *S. Hilarii Tractatus de Mysteriis et hymni* et *Sanctae Siluiae Aquitanae Peregrinatio ad loca sancta* (*Bibl. dell' Accad. storico-giuridica*, vol. IV, Romae, 1887).

Altera editio in *Studj e Documenti di Storia e diritto*, vol. IX (1888).

Peregrinatio ad loca sancta saeculi IV exeuntis edita, rossice uersa, notis illustrata, ab I. POMIALOWSKY, Petroburgii, 1889.

BERNARD (John H.). — *The Pilgrimage of St Siluia of Aquitania*..., London, 1891.

Itinera Hierosolymitana..., ed. P. GEYER, Vindobonae, 1898 (*Corp. script. eccl. lat.*, v. XXXIX)[1].

BECHTEL (Ed. A.). — *Sanctae Siluiae Peregrinatio, the text and a study of latinity*, Chicago, 1902.

1. De qua uide, *Lit. Centralblatt*, 1900, p. 51 (H. U.)

PROOEMIUM

Antequam de singulis disceptamus, non superuacaneum est iam profiteri qua mente rem aggressuri simus. Eam enim maximi esse momenti omnibus, cum iis qui linguae latinae, tum iis qui romanis, quae dicuntur, linguis student satis est consentaneum. Nil mirum ergo nos ad utrosque spectare, dum singula quae notatione digna esse uideantur ita in medium uocamus ut quae a recta latine scribendi ratione abhorreant et ea quae quasi incunabula romanarum linguarum significent simul adnotemus. Fit enim aliquando, sed non semper, ut quae ab usu latino abhorreant eadem explanent quo modo linguae romanae sint informatae. Duo itaque esse proposita constat : tum ad linguam latinam, et in uocabulorum usu ad illam quae ecclesiastica[1] dici solet, tum ad romanas, hispanicam dicere nolim, noscendas noua pro parte adferre.

Vnum primum animaduertendum : libellum de quo

1. Ne quis miretur me pleraque exempla non modo ab hispanicis scriptoribus, sed etiam a gallis sumpsisse ; duae sunt causae cur utrosque scriptores ad rem illustrandam in medium uocauerim : primum quod, dum Siluiae, quae prius dicebatur, sermonem cum sermone scriptorum qui in Gallia nati sunt confero, multa ex iis excerpsi, in uocabulorum usu praecipue, quae ad rem magni esse momenti et ea non omittenda existimaui ; alterum quod eo modo clarius apparebit multa quae hispanica esse dixeris domesticae quoque linguae, et plerumque ceteris romanis linguis, esse communia.

disceptare tentamus uno tantum Codice, cuius maxima pars non adhuc reperta est, contineri, qui saeculo XI° scriptus est : ex quo fit ut semper sit periculum ne, dum sermonem Etheriae perpendis, barbariem illam qua scriptor linguae latinae politioris rudis libellum infuscauisset reperias ; qui timor uanus esset si plures exstarent codices. Mirum enim mulierem quae IV° saeculo exeunte scripsit, et ea, ut uerisimile est e clara familia orta est, tam impolite, ne rustice dicam, scripsisse. Sed multa sunt quae nos ab hoc timore remoueant : primum quod si scriptori alicui saeculi XI° in animo fuisset aliquid in libello mutare, id ille ita fecisset ut barbara remoueret et cuncta poliret : habemus confitentes reos[1].

Deinde si ad scribam tantum referenda essent quae, verbi gratia in litterarum mutationibus magni momenti sunt, in eandem culpam incideret quod ad syntaxin uel uocabula attinet : in quibus Etheria tantum ab usu recto distat quantum in prioribus.

Barbariem qua sermo infuscatur propriam esse Etheriae nullo modo dubitandum. Quam si paucis explicare uelimus, satis sit commemorare Asturiam, in qua haec nata est, in « occiduae plagae extremitate »[2], ut uerbis Valerii abbatis utar, posita, longe a ceteris Hispaniae florentibus urbibus distare. Recentius itaque quam ceteras Hispaniae prouincias Romani eam coluerunt, nec unquam ei defuit aliquid

1. Eugenius II, episcopus Toletanus, cum poema Dracontii, quod Hexaemerum inscriptum est, ederet, id, iubente quidem rege Chindaswinto, correxit. Eius haec sunt uerba : « Dracontii cuiusdam libellos multis uidens erroribus inuolutos, Christo Domino tribuente ualorem, pro temeritate mei sensuli subcorrexi. Hoc uidelicet moderamen custodito, quo superflua demerem, semiplena supplerem, fracta constabilirem et crebro repetita mutarem. Versiculi sane, quos huic operi detrahendos esse putaui, et sensu tepidi, et uerbis illepidi et nulla probantur ratione subnixi. » (Migne, *Patr. Lat.*, 87, 459 A. Iam not. a docto uiro Ebert, I, 392.) Quocum loco uelim conferas locum a P. Geyerio prolatum. Haec sunt Reginonis, Pruniensis abbatis (IX° saeculo), uerba : « Haec quae supra expressa sunt, in quodam libello repperi plebeio et rusticano sermone composita, quae ex parte ad latinam regulam correxi, quaedam etiam addidi quae ex narratione seniorum audiui. » (Ap. Bellanger, *In Ant. Plac. Itinerarium*, p. 16.)

2. *Revue des questions historiques*, ann. XXXVIII, p. 380.

peculiare quo inter ceteras distingueretur : quod clarius appareat, si eam cum Baetica, ante Christum natum iam longe a Romanis exculta, conferas.

Ea est barbaries quae cum barbarie nullius scriptoris eiusdem temporis comparari possit. In inscriptionibus tantum exempla occurrunt quae cum multis locis e peregrinatione excerptis conferre liceat. Eas igitur praecipue in medium esse uocandas liquet. Quod eo facilius fiet quod nuperrime doctus uir Carnoy libellum magnae auctoritatis de re digessit[1]. Id unum desiderandum, quod rem non latius protulit et syntaxin simul ac uocabula aut neglexit aut neglexisse uidetur[2]. Attamen eo libro, in prima huius disquisitionis parte, attente utemur. Eo attentius quod fere nullus eiusmodi scriptus est, quod quidem ad Hispanicam latinitatem, sit uenia uerbi, spectat.

Scriptores sunt innumeri quorum sermonem cum sermone Etheriae conferre licet; in Hispania enim haud minus quam in Gallia Italiaue primis post Christum saeculis litterae latinae floruerunt. Sed quam irritus sit hic labor, quod quidem ad rem nostram spectat, iam liceat dicere. Non hic propositum est omnia quae propria esse uideantur latinae linguae qua usi sunt Hispani in unum congerere et grammaticam hispanicae quam dicimus latinitatis conscribere. Satis sit sermonem Etheriae cum sermone eorum qui in Hispania nati eodem tempore fuerunt, horum praecipue quorum lingua barbarius rusticiusque sonat, conferre. In quo monumenta quoque anonyma relata aliquam uim tenent[3]. Inter scriptores eos potius euoluendos existimo qui in eadem regione qua Etheria nati sunt, uelut Idatius, Fructuosus; in quibus Valerius abbas eminet, quippe qui Etheriae peregrinationem penitus nouerit et scriptorem magna admiratione prosequatur et idem tam inculto

1. Carnoy, *Le latin d'Espagne*. Cf. indicem bibliographicum.

2. Id enim nondum compertum est utrum rem latius prolaturus sit Carnoy necne.

3. Velut concilia, libri liturgici, Lex Wisigothorum.

sermone utatur ut apud eum quoque hispanicam latinitatem indagare liceat[1].

His tamen uerbis, « hispanica latinitas », lectorem decipere nolim : de qua quid sentiamus latius in fine libelli explicabimus ; paucis hic sit satis dicere. Si quis in studium linguae latinae, qualis fuit primis post Christum saeculis, eo animo intenderet ut ea sola requireret quae linguam qua Galli, uel Itali, uel Hispani usi sunt denuntient, in irritum casurum esse eius laborem, omnibus, exceptis quidem paucissimis, satis compertum est : palinodiam docti uiri Sittlii[2] sufficiat hic commemorare. Vox « hispanica latinitas » eo sensu est admittenda, ut in illa saepissime fere nihil aliud quam quandam rationem commode loquendi uideas. Quid sit proprie hispanicum uel etiam asturicum, si quid est, suo loco animaduertemus : maximam uero partem libelli non minus hispanicam quam gallicam redolere latinitatem nemo mirabitur.

Rem tractandam in tres partes distribuimus : in prima, disseremus de sonorum mutationibus et de formis uocum declinabilium, de aduerbiis et de uocibus informandis ; in secunda, de syntaxi, praepositionibus coniunctionibusque inclusis : in tertia parte, uocabula perpendemus quae quoquo modo digna uisa sunt quae notentur.

1. Eugenium II, episcopum Toletanum, legi tantum; quanquam enim rustici sermonis facit mentionem, nihil notatione dignum eius uersiculis inesse existimaui. Cf. hunc locum :

At tu qui nostras tranquillo pectore nugas
Perlegis, et blande *rustica uerba* foues.
(Migne, *P. L.*, 87, 359 A.)

2. In *Iahresbericht über die Fortschritte der Altertumswissenschaft*, 1892, p. 226.

PARS PRIMA

CAPVT PRIMVM

De Vocalibus Consonisque.

A. De Vocalibvs

In ea parte in primis est periculum ne menda ad scribam potius quam ad scriptorem referenda sint; cautissime ergo exempla perpendenda, ne huic tribuamus quod illius sit proprium.

A. — Huius litterulae, quarto saeculo exeunte, eundem sonum quam antea fuisse satis constat; nec mirum, quippe quae, in plerisque romanis linguis, usque hodie non mutata permanserit. Itaque apud Etheriam nihil dignum quod notetur esse uidetur, praeter hoc unum : *quadragesimerum*, pro *quadragesimarum* scriptum. Quae forma cum in codice exstet et cum aliis eiusmodi congruat, cur non ab editoribus in textum admissa sit nescio. Hoc, unicum quidem, exemplum si cum aliis conferas (*aquerum*, *aquaerum*, in Formulis Marculfi, si Haagio[1] credas) id existimes alicuius fortasse esse momenti, quod ad mutationem huius litterulae attinet. In hoc cum Haagio dissentio ut formas uelut *aquerum* ex analogia *aquae* non esse informatas existimem. Equidem credo litteram liquidam *r* ad sonum litterae

1. *Die Latinität Fredegars*, p. 41, n. 1.

a mutandum plurimum ualuisse. Liquida enim *r* ea est natura quae facile sonum *a* praepositum in *e* permutet[1].

In inscriptionibus Hispaniae unum exemplum repperit Carnoy[2], *hilera* pro *hilara* : in quo litterula *r* est postposita.

In nominibus propriis, quae in Galliae inscriptionibus continentur, hanc soni mutationem sero apparere adnotauit Pirson : *Dauerius* pro *Dauarius*, *Agnericus* pro *Agnaricus*[3].

Transieritne etiam *a* in *e* post priorem, qui dici potest, accentum hoc exemplo : *Gessemāni* (?), 87, 11 (*Gessamani*, 86, 27) dubium. Quocum exemplo conferas uelim *Cessarone* (*Itin. Hieros.*, 4, 15) et *Cesserone, It. Ant.* [*It. Hieros.*], 389, 4; 396, 9.

E. — *E* ante uocalem posita transiit in *i* : sic *calciamento*, 42, 24; 43, 13. Quod exemplum quam parui sit momenti superfluum est dicere; satis sit commemorare illam formam iam diu in lingua latina[4] exstitisse.

Hoc uero exemplum maiorem uim tenet : *ceriofalis*, 76, 16, sed *cereofala*, 73, 6; *coclea*, 39, 12[5]. Adde : *archiotipa*, 64, 5.

Multa exempla ad hoc spectantia in lucem protulit Carnoy[6]. Mirum quanto saepius *e* pro *i* positam reperias : *i* pro *e* quatuordecies ponitur, *e* pro *i* uersa uice tricies quater. Haec exempla in Lusitania et Asturia plerumque occurrunt; de quibus cum Carnoy diligentissime disseruerit et exempla e *Peregrinatione* excerpta nimis rara sint, non latius est disserendum; duo asturica exempla haec

1. Cf. *-arium* in *-erium* in sermone uulgari uersum; uersa uice *per* = fr. gall. *par*.

2. P. 12. In *entia* pro — *antia* posito nihil aliud uidere uelim quam terminationis confusionem. *Palentina ciuitas* occurrit mihi legenti ap. Idat. *Chr.* Migne, *P. L.* 74, 737-38. Ceterum in *hilara a* cadit post accentum.

3. *La langue des inscriptions latines de la Gaule*, p. 2.

4. Carnoy, 33; *calciamentum* legitur *C. I. L.* II, Suppl., 5181.

5. Cf. Schuchardt, *Vokalismus*, II, 68.

6. P. 33-35. Teste docto uiro Carnoy in hoc efficiendo celtica uel iberica lingua multum ualuit.

sunt : *Tea ?* (*C. I. L.* II, Suppl., 5742) *Sagineesi* (*ibid.*, 5726[1]).

I breuis. — Eam litteram sonum simillimum soni litterae *ē* in latina lingua habuisse et innumera exempla quae doctissimus uir Schuchardt in unum congessit et romanae linguae demonstrant. In codice *Peregrinationis es* pro *is* legitur hoc loco : *consuetudines*[2] (*omnia quae consuetudinis sunt*), 77, 28. Duae inscriptiones, in Asturia scriptae, denuntiant hanc litteram *i* iam diu ante Etheriam sic pronuntiari : *ciues* (« 1er ou 2e siècle, très vulg. Asturies » Carnoy) ; *lebes* (« très vulg. Asturies », id.),

Syllaba *et* pro *it* hoc loco : *efferet,* 81, 26 ; 91, 5, et multis aliis. Eadem forma ap. Carnoy, p. 14 (sexies). Haec uero cum potius ad coniugationem spectet, latius de ea et eiusmodi multis aliis suo loco disseremus.

I breuis ante accentum posita in eundem sonum, *e,* transiit, hoc quidem loco[3] : *plecaremus,* 38, 14 ; sed *plicare,* 63, 5 ; 46, 11. Quibus formis uariis auctorem *Peregrinationis* in *i* sic posita haesisse significari existimo. Exempla ex inscriptionibus excerpta attulit Carnoy, p. 17. Cf. *implecare, suppleco,* et alia exempla ap. Schuchardt, II, 4, 5 : pleraque exempla in sextum septimumue saeculum cadunt.

In uocabulis graecis *en* pro *in* bis ponitur : *cathecisen,* 98, 5 (at *cathecisin,* 98, 3, in codice) ; cf. *Anastasem,* 79, 17 ; *Anastasim,* 71, 30[4].

AE, OE. — Litterula *e* tam frequenter pro diphthongo *ae* ponitur ut pauca tantum exempla ex libello excerpere

1. De forma *obsedebant* 63, 23, inferius scribemus.

2. « Archaisch, » Schuchardt, II, 44.

3. Quo loco *e* apertam esse significant hispanicae formae : *pliego (plĕco), lliega* (plĕcat). E. Gorra, *Lingua spagn.* 17.

4. Cf. Schuchardt, II, 45. Cf. *apodixem* (im) ap. Valer., *P. L.*, 87, 456 A.

satis sit[1]. *Grece*[2], pass.; *Egyptum*, 41, 5 et pass.; *Palestina*[3], 41, 5; *etate*, 40, 4; *domine* (codex), 54, 20; *Iudeos*, 81, 14, etc. Iam diu *ae* in *e* reductum demonstrant tabulae a doctissimo uiro Schuchardt confectae (*Vokal.*, I, 224-225). Idem testis est *Iudea* iam in nummis Vespasiani scriptum esse : sexto septimoue saeculo grammaticus Placidus *ae* requirit[4].

Versa uice *quae* pro *que(m)*, 52, 11 (codex) (cf. *que* pro *quae*, id est *qui*, 84, 2; sed haec potius ad pronominum formas attinent; cf. infra).

Que quater occurrit in inscriptionibus hispanicis; tria exempla in inscriptionibus primo secundoue saeculo post Christum scriptis, quartum dubium[5].

Cum ex indagationibus docti uiri Carnoy satis constet, in Hispania, secundo iam post Christum saeculo, diphthongum *ae*[6] eundem sonum quam *e*[7] tenuisse, facile admiserim Etheriam *e* pro *ae* et pronuntiasse et scripsisse. In quo efficiendo accentum nullius esse momenti ex exemplis supra allatis inferre licet[8].

Idem quod uocalibus *ae* uocalibus *oe*, quanquam rarius, accidit. *Coepimus* scribitur semper *cepimus* aut *cepimus*. Sic *amenam*, 56, 5; *amenus*, 56, 14; *amenum*, 57, 15; *amenissimum*, 58, 28. Eadem uerba, sic scripta, iam ante Christum natum, in inscriptionibus Hispaniae occurrunt[9]. Ceterum ex grammaticorum obseruationibus[10] admittendum quarto quintoue saeculo diphthongum *oe*,

1. Omnia exempla ap. Bechtel, *op. laud.*, p. 75-76, inuenies.
2. « Semper *grece* cum littera *e* pro *ae*. » (P. Geyer, *Itin. Hieros.*; 99, 14.)
3. « Sic semper A [codex] », P. Geyer, p. 41, apparat. crit.
4. *Vokalismus*, II, 224-225.
5. Carnoy, p. 71, 73.
6. Hisp. *asmar* ad formam latinam **astimare* referendum est : cf. catalan. *astimar*.
7. *E* quam dicimus *ouvert*, ut in omnibus romanis linguis.
8. Cf. Seelmann, p. 225 : « Erst mit dem IV. Jahrhundert nimmt der Zusammenfall und graphische Wechsel von *ae* × *e* massenweise zu. »
9. Cepi, amenus (Carnoy, p. 84).
10. Quas uide ap. Seelmann, p. 225.

in plerisque uocibus quibus inest, in *e* simplicem — quam dicimus *fermé* — iam longe transiisse [1].

O. V. — Pauca de *oo* in *o* reducto dicenda his locis : *coperculo*, 59, 24; *perdiscoperuissent*, *ibid.* De his et aliis hujusmodi infra disceptaturi sumus. Hoc grauius : post accentum fit saepe ut littera *u* in *o* ceciderit, ueluti in hac uoce : *terrola* [2], pro *terrula*, 40, 14. Qua forma non ueterem italicam pronuntiationem significari [3] haud facile admiseris, si animaduertas uocem *terrula* recentem esse, cum semel in *Cod. Iustin.* appareat. Satis raro litteras adfixas *-olus* pro *-ulus* in inscriptionibus Hispaniae apparere adnotat Carnoy : *paruolo* (IIIº saeculo); post quartum saeculum : *tomolo, famola, insola* [4].

In fine uerborum quae in *um* terminantur *o* saepissime pro *u*, postquam litterula *m* obmutuerat, posita est. Quod cum praecipue in nominum accusatiuis fiat, rem haud minus ad declinationem, uel etiam ad syntaxin quam ad hunc locum spectare existimo. Hic duo commemorare satis sit : primum sonum litterae *ō* in fine uerborum, id est post accentum positae, sono litterae *ŭ* esse simillimum [5]; alterum raram esse hanc sonorum confusionem in inscriptionibus quae in septemtrionalibus Hispaniae partibus repertae sunt. Quin immo ex hodiernis asturicis dialectis constat sonos *o* et *u* non facile esse confusos, cum adhuc intacti, in fine quidem uerborum, in illis dialectis manserint : cf. *Komo*,

1. Ne mireris rariora esse exempla huc allata, cum rarior sit diphthongus *oe* quam *ae*. *Ae* et *oe* raro per simplicem litteram esse expressa in *Libro Ordinum* ex *Indice* a docto uiro Férotin confecto (c. 560 sq.) constat.

2. Ex coniectura probabili.

3. Constat enim particulas adfixas *-olus*, *-ulus* iam diu in Italia et exstitisse et confusas fuisse.

4. Carnoy, 59, n. 1. Cf. ap. Anton. Plac. *insola, cellolas; quadrangolis, anolis*, haec duo exempla quo loco de *ŭ -ō* confusis disseruit Bellanger (p. 33) desiderantur.

5. « Kurzes v hatte einen nach o hinneigenden Klang... » (Seelmann, *l. s.*, p. 216.)

De duabus uocalibus in *Libro Ordinum* confusis, cf. Férotin, *op. laud.*, c. 563-564.

algunos, sed *algunu*, *queremus*[1]. Equidem credo mendam *o* pro *ŭ (m)*, siue ex pronuntiationis similitudine, siue ex casuum confusione ortam, ad Etheriam, non ad scriptorem, esse referendam. Animaduertas uelim *os* pro *us* non occurrere. De *iusso* pro *iussu* cf. infra.

Au in *u* redactum : *clusam* (clausam), 63,10. Legitur *clusis*, *clusuris*, in inscriptionibus Hispaniae teste docto uiro Carnoy, p. 85. Hisp. *llosa* (uetus) = ager clausus, ad *clausa* referendum.

Graecae Vocales. — Eas a latinis esse segregandas nemo est qui non existimet. Ab υ incipiamus : quae cum esset « uocibus auia latinis »[2], ut scripsit Terentianus Maurus, uariis litteris (*y*, *u*, *i*) in lingua latina, ex temporibus quibus in latinum sermonem est admissa, expressa est. In *Peregrinatione y*, *i*, *e* simul occurrunt : *y* raro, exempli gratia in *thymiataria* et *Martyrium*, pass. ; *i* frequentius, *misteria* 99, 8 ; *martirium* 95, 8 ; *sicomori*, 48, 28; *siriste*, 99,14 ; *girare*, *girus*, pass. ; *presbitero*[3], 39, 7 ; *archiotipa*, 64, 5.

I pro *y* posita debilitatur etiam in *e*, his quidem exemplis : *archiotepam*, 62, 11 ; *Clesma* pro *Clysma*, 46, 19 ; 46, 26, 27.

Superioribus locis quo modo *i* sonuerit non plane certum : si enim *girum*, *girare* animaduertas, ex hodiernis linguis constat *i* longam fuisse (cf. fr.-gall. *virer*, hisp. *girar*) ; si contra *presbiterum*, antiqua gallica forma (*preveire*, *prevoire*) ad *presbeterum* est referenda, dum hispanica (*presbitero*), nisi e libris defluxit, e *presbitero* cum *i* longa ducenda est.

E pro *y* positam ueram pronuntiationem significare libenter existimauerim ; non quod uoces *Clesma*, *archiotepa*

1. E. Gorra, *Lingua e letteratura spagnuola*, p. 41. Meyer-Lübke, *Gram. des L. Rom.* I, § 308.

2. Seelmann, p. 220.

3. « Eadem orthographia semper, » P. Geyer, *l. s.* Cf. *Itin. Hieros.*, Praefat., p. XI.

in sermone uulgari hispanico superfuerint; sed in alia huius modi uoce sonus itidem mutatus est : *gypsus*, cum in *gepsus* (cum *e* aperta) esset mutatum hodiernum *yelso* [1] peperit. Conferas uelim quam formam graecum Συμφέρουσα [2] in hispanicis inscriptionibus induerit : *Semperusa* [3]; at contra *Sypherusa*, ap. Schuchardt, I, 105. Cf. ap. Ant. Placent. *genicia* pro *gynaecea*, et *dactalum* quod pro *dactelum* (dactylum) positum esse crediderim [4]. Sic ex *amygdala*, prouincialis forma *amèlla*, *amèllo* (aperta *e*) defluxit; item gall. *amande*, in prisca lingua *amende* [5].

H. — Haec littera per litteras *e*, *i*, uel etiam *a* expressa est. Quod ad *e* attinet cf. *pentecosten*, 92, 21; *prophetissa*, 77, 25. Exempla, uel potius exemplum in quo *i* posita est, maioris est momenti. Graeca uox σηρικός sic latine transcripta est *siricus*, 76, 12 : in composito autem *oloserico*, 76, 13. Alia quoque exempla ex aliis scriptoribus excerpta in hac uoce pronuntianda quandam exstitisse haesitationem indicant; sic apud Gregor. Tur. *sericum* et *sirico* occurrunt (174, 5; 276, 1) [6]. Vox simplex *sericus* superest adhuc in francogallica et in hispanica lingua : fr.-gall. *serge*, hisp. *sirgo*. Quibus formis satis demonstratur priorem ad *sēricum* (*e* stricta), posteriorem autem ad *sīricum* esse referendam. Sed in uetere quoque francogallica lingua forma cum *i* occurrit; consule quae scripsit eminentissimus uir Gaston Paris, dum uocem ex poemate excerptam quod inscriptum est : *Pèlerinage de Charlemagne* (xiᵉ saeculo scriptum) explanare tentat : « *Sirica* a dû donner en français *sirge*,

1. *Yelso* asturicum esse docet Munthe, *Zeitschrift für rom. Phil.*, XXIII, 322; *yeso* hispanicum. Prouinciales Galliae dialecti *e* apertam quoque denuntiant.

2. Carnoy, p. 18. Sexto saeculo occurrunt in inscriptionibus : *Marteris*, *Ceprianus*, *Mertilliane* (Carnoy, p. 19).

3. Carnoy, p. 18.

4. Bellanger, p. 33.

5. Cf. Körting, *Lat. Rom. W.* [2], s. u.

6. Consule Schuchardt, *Vokalismus*, I, 241-42.

cf. esp. *sirgo*[1]. » In codice quidem manuscripto quo *Peregrinatio Caroli Magni* continetur uox hac forma SERIES[2] occurrit, id est *serjes;* sed cum ea cum aliis uocabulis in *i* adsonet, ueluti *espices, vile, dire,* admittendum hoc loco *sirjes* pronuntiatum esse. Hodierna forma *serge,* quae XVII° saeculo *sarge* pronuntiabatur, *sēricam* commemorat. Duas ergo formas eiusdem uocis in gallica quam dicimus latinitate exstitisse ueri simile est; in prouinciali quoque hodiernum *sargo*[3] ad *sēricam* referre uelim. Quod ad hispanicam linguam attinet, duae formae cum *e* occurrunt in charta in Asturia anno 780 scripta[4] : *sine serico, capa serica,* quod cum forma hispanica *sirgo* minime congruit, sed aptissime cum altera forma *sarga*[5]. In hispanica quoque latinitate ambas formas exstitisse constat.

Hodierna forma dacicae linguae *ursinic*[6] ad *olosīricum* referenda est.

In *cathecisis,* 97, 24; 98, 3, duae litterae *e, i* graecam η reddunt; sed prior cum ante accentum posita esset facillime in *e* quasi debilitata est.

Terminatio graeca -ήριον in *-arium* mutata est hoc loco : *thymiataria,* quae nihil aliud est nisi duplex forma uocis *thymiaterium,* ex confusis litteris *er, ar* facile orta[7].

Mesopotamenos, 66, 2, ad formam graecam Μεσοποταμηνός referendum esse uidetur, quae re uera in graecis lexicis non occurrit.

Cathecuminos, 71, 25; 97, 19, pro gr. κατηχούμενος scriptum

1. *Romania,* IX, p. 23, n. 6.
2. Ed. Koschwitz, V, 210.
3. Sensus quidem uocis dissimilis est sensus fr.-gall. *serge;* sed cum ea uoce uestis quoddam genus designetur, ueri simile est eam ex eadem forma defluxisse. Antiquitus occurrunt *serga* et *sirgua;* cf. Raynouard, *Lex. Rom.,* V, 155, 2.
4. Gorra, *Lingua e lett. spagn.,* p. 178.
5. Hisp. *jerga* quoque exstat; cf. Menendez Pidal, *Manual,* 80, 2.
6. Cf. infra in *Vocabulis.*
7. Duo alia exempla hic commemoremus : *e* pro gr. η : *cepos,* 58, 1; sed *i* pro η in hac uoce : *ascitis* (gr. ἀσκητής), 40, 1 ; 59, 16; *ascites,* 52, 21.

est : quo loco *i* sonum eundem quem *e* post accentum habere admiserim[1].

O. — Graeca ο per *u* expressa est in hoc uerbo : *aputactitae*[2] (ἀποτακτῖται), in quo *u* sonum similem illi quem dicimus *o fermé* significat. In *oleserica*, 76, 13 (*oloserica*, 76, 14), alteram *o* litterae *e* sequenti similem esse factam ueri simile est.

Graecam diphthongum ου per litterulam *u* expressam inuenias : *cathecuminos* (cf. supra), *in Lazariu*, 91, 15 ; *tu agiu Iohanni*, 58, 1, id est graece τοῦ ἁγίου Ἰωάννου, quo loco *Ioannu* pro *Ioanni* legendum esse existimo[3].

E pro gr. αι ponitur : *encenia*, 100, 1 ; 101, 1 : gr. ἐγκαίνια. Nec mirum cum lat. *e* pro *ae*, quae uera esset diphthongi αι transcriptio, frequentissime scripta sit.

Hic denique commemorentur : *archiotipa*, 62, 17 ; *archiotepa*, 62, 11 : quae formae uidentur ex graeca forma ἀρχειότυπος pro recta forma ἀρχέτυπος posita defluxisse. Cf. *archeotes*, *archiotes* (gr. ἀρχειώτης) ap. Georges. De *e*, *i* in hiatu positis uide supra.

B. De Consonis.

B aliquando pro *u* scriptam inuenias : *lebat* 51, 13 (codex) ; *baluis*, 95, 10 ; *Libiada*, 51, 13 ; *Libiade*, 52, 10 ; *Libiadam* 54, 8 ; *adnotauimus* (bimus), 75, 14, etc. Quibuscum exemplis haec duo conferas uelim quae ex Valerio excerpsi : *lebauit*, Migne, *P. L.* 87, 467 B; *bobis* = *bouis*, *ibid.*, 449 B.

1. Cf. supra *cathecisen* pro *cathecisin*, p. 3.
2. Cf. *episcupo*, *diacunus*, ap. Carnoy, p. 60.
3. Apud Liuium iam inuenitur *u* pro gr. ου in genitiuis secundae declinationis. Cf. Neue, *Formenlehre der lat. Spr.*², I, 130. Cf. ap. Marcellum Empiricum *sphagnu*, *poliu*, *gagatu*, S. Chabert, *De lat. Marcelli Empirici*, p. 13.

Multa eiusmodi exempla in hispanicis inscriptionibus occurrere testis est doctus uir Carnoy [1]. Qui cum omnia exempla excerpsisset, de re mira sagacitate disseruit. Dum enim indicem exemplorum repertorum perlegis, uenit subito in mentem id esse peculiare quoddam hispanicae latinitati, cum hodierna hispanica lingua *u* in *b* mutatam praebeat. Sed tres sunt praecipuae causae quae te ab hac opinione remoueant. Exempla primum segreganda sunt quibus, dum duae *u* insunt, altera alterius dissimilis facta est; sic *baluis* apud Etheriam, *lebauit* apud Valerium (in *bobis* posterior littera prioris similis facta est). Deinde animaduertendum exempla litterulae *b* pro *u* positae in fere omnibus regionibus a Romanis cultis, excepta quidem Gallia, esse innumera [2]. Denique in hispanica lingua, medio quidem aeuo, ex disquisitionibus a doctissimo uiro Cueruo factis constat litteras *b* et *u* adhuc distingui et in his tantum uerbis esse confusas quibus illae duae litterae postponuntur: *biuar, biuir* pro *uiuar, uiuir* [3]. Quod ad communem linguis fere omnibus legem, potius quam ad peculiarem pronuntiandi rationem esse referendum plane admiserim. In hanc uero mendam Etheriam ipsam incidisse, non librarium, existimes, si consulas quae docti uiri Schuchardt et Carnoy de re scripserunt [4].

« *H* litteram, ut uerbis grammatici Gellii utamur, spiritum magis quam litteram dici oportet [5]. » Ex alterius grammatici obseruationibus constat, hac littera perperam

1. P. 134-146. Cf. *lebis, lebes, instaurabit*, p. 134; *ornabit* (vi° saeculo) *brebe* (vii° uel viii° saeculo post Christum) et multa perfecta in *-bit* terminata, p. 135. Quod ad « betacismum », ap. Ant. Placent. attinet, cf. Bellanger, *op. laud.*, p. 34.

2. Carnoy, p. 141.

3. *Rev. hispanique*, II, p. 5 sq.

4. « Ungemein häufig war die Verwechselung der Buchstaben B und V im 3. Jahrh. unserer Zeitrechnung. In christlichen Grabschriften sehen wir den Betazismus in höchstem Flor. » (*Vokal.*, I, 131.) Cf. Carnoy, p. 136.

5. Seelmann, p. 263.

admissa, rusticum[1] fieri sermonem. In quam mendam incidit Etheria, nec mirum, cum ea aetate parua in hac littera pronuntianda uis adspirationis fuisse uideatur: sic *hostium*[2], 39, 28, etc. (*ostium* pass. legitur); *hispatii*, 53, 17; *heremus*, 53, 1; 46, 2; *hebdomadarum*, 78, 12; *hebdomadarius*, 80, 10; *ebdomada*, 96, 24; *Ierapolis*, 61, 7[3]. Tertio iam post Christum natum saeculo innumera occurrunt exempla huius litterae falso admissae uel omissae.

H postponitur litterae *t* recte[4] hoc loco: *thymiataria*, 73, 29, falso his: *cathecisis*, 97, 24; cf. 98, 3 (κατήχησις); *cathecuminos*, 71, 25; 97, 19 (gr. κατηχούμενος). Animaduertas uelim duplicem esse mendam, cum gr. χ per *c*[5] unam reddatur. Quem sonum *ch* habuerit haud facile definias si scripturam *Naćhor*, 67, 4; *Raćhel*, 68, 6 (*c* cum apice superposito in codice) inspicias. In quibus exemplis librarii consuetudinem rectius quam Etheriae peculiarem pronuntiandi rationem forsitan uideas. Item *Carris*, 65, 1, et *Carra*, 65, 2, sic in codice scripta inuenis ut post *c h* superposita sit: quae scribendi ratio pro menda correcta habenda est. Ceterum haec ad scripturam et rectam orthographiam potius quam ad pronuntiationem attinent[6].

I.— Haud parui est momenti litteras *g i*, in initio quidem uerborum, alteram pro altera positas reperire: *Gessen terra*, 50, 3, 18; *Iessen*, 50, 9; *Gessemani* ter occurrit; apud

1. Errorem similem in hodierna anglicae linguae pronuntiatione saepius fieri Seelmann (p. 265) et Max Bonnet animaduerterunt (*Le latin de Grégoire de Tours*, p. 167).

2. *H* in francogallicis uocibus *huis*, *huile*, *huit* a librariis insertam fuisse satis notum est.

3. Vide omnia exempla ap. Bechtel, 77-78. De aspirata littera in *Lib. Ordinum*, cf. éd. Férotin, c. 562-563.

4. Seelmann, p. 257, l. 19.

5. Sic *cocleas*, 39, 12, quae scribendi ratio cum lege a grammaticis saepe expressa apte congruit. Caper apud Seelmann, p. 258: « *Coclea* sine *h*. » *Ch* pro *h* aliquando scribebant ad hiatum uitandum: sic *michi*, 62, 11, cuius formae exempla iam II° post Christum saeculo occurrere adnotat Schuchardt, II, 526.

6. De innumeris erroribus a scribis in *h* adhibenda commissis, cf. *C. I. L.* II, Suppl., p. 1186.

Antoninum contra *Iessemani* (178, 13, 18; 176, 8) in codice G dicto ter legitur. Hoc uero exemplo uerborum illa commutatio fit clarior : *Gerapolis*, 61, 3; eadem uero pagina legitur *Ierapolis*, 61, 7 [1] (*Getha*, 58, 25, pro *Iephta ?*).

Me quidem haud fallit eam litterarum commutationem plerumque in hebraicis vocabulis obseruari; qua in lingua, quem sonum literra *g* in initio uerborum posita tenuerit nescio. Sed primum omnium animaduertendum haec uocabula iam diu in linguam graecam transiisse; deinde si gr. *Gerapolim* cum ceteris eiusmodi exemplis contuleris, tibi apparebit his locis significari *i* non semiuocalem esse. Grammatici enim ɪv° iam post Christum saeculo pinguem inesse sonum [2] litterae semiuocali *i* indicant; id in Hispania quoque, ɪv° saeculo exeunte, exstitisse testis esse mihi uidetur Etheria.

Rursus his litteris confusis id significari mihi uidetur sonum quoque litterae *g* iam mutatum esse et assibilari, quod dicimus, coeptum fuisse. Cuius commutationis cum doctissimus uir Schuchardt primordia ad quintum post Christum saeculum referat [3], ueri simile est eam aliquanto prius in Hispania factam esse. Aliqua grauia exempla in medium attulit Carnoy [4], sed ea ad nullum certum tempus referre licet : sic *Gioui* (p. 162) = *Ioui* [5].

Maximam quoque uim tenet hoc exemplum : *baptidiati*, 90, 22; 97, 16 (*baptidiandi*), 98, 26; 96, 19; 91, 24, quibus locis litteram *z* mirum quantum in duas quasi solutam fuisse uidetur. Quam dissolutionem ex confusione quadam ortam esse satis constat : ex quo enim litterae *di* eundem

1. Cf. ap. Fredegar. *Gephte*, 45, 11, 13 (Hieronymus *Iephte*); *Geroboam* (Hieronym. *Hieroboam*), 48, 9. Haag, *l. s.*, § 47.

2. Seelmann, p. 232.

3. I, p. 70. Cf. *Gianuaria (Ianuaria)*, *ibid.*, I, 71 (Interamna a. 503 post Christum).

4. P. 161-163. In primis *Lionisi* = *Legionensi* (p. 161) maiorem uim teneret si de aetate qua scriptum fuerit certiores fieremus.

5. Cf. in *Libro Ordinum* : *magestas, gecoris; iemuit, ienua, Ierontius*, c. 562-563.

fere sonum quem *z* expresserunt signum *di* uersa uice falso pro *z* positum est[1]. Quod cum doctissimus uir Bonnet in notula quadam libri sui enucleate explanauerit[2], de ea re longius disserere forsitan superfluum sit.

Non ueri simile est hoc loco *i* uocalem esse, sed semiuocalem iam in consonantem quasi inclinatam : uelut *dj* (yod), uel rectius *dz*. Quam soni mutationem iam quarto exeunte saeculo effectam esse, testes sunt, praeter Etheriam, inscriptiones[3] et Priscillianus, apud quem *zabolus* terdecies occurrit[4].

Ex forma *baptidiare* defluxit antiquum hisp. uerbum *batear* (*j* inter uocales posita cecidit, cf. *peor*, *mear*); hodiernum *bautizar*[5], *p* in *u* conuersa, recentius est. Ex eadem forma defluxerunt ant. prouinc. *batejar*, recentius *batiza*, ex hodierna francogallica forma *baptiser*, antiquitus *batoyer* informatum : engad. *batağer*. Ital. *batteggiare* ex *-eggia*, non *-idia*[6].

M. — Hanc litteram[7] in fine uerborum apud antiquissimos scriptores tenuiorem sonum satis constat habuisse, cum in

1. Cf. ap. Pompeium grammaticum (v° saeculo) : « quotienscumque enim post TI uel DI syllabam sequitur uocalis, illud TI uel DI in sibilum uertendum est... ergo si uolueris dicere TI uel DI, noli, quem ad modum scribitur, sic proferre, sed sibilo profer. » (Seelmann, p. 320.) Grauiora quae Isidorus Hispal. profert : cum iustITIa sonum z litterae exprimat... *Orig.*, I, 26, 28. *Ibid.*, XX, 9, 4 : « *Mozicia* quasi *modicia*... *z* pro *d*, sicut solent Itali dicere *ozie* pro *hodie*. » (Seelmann, p. 321.)

2. Bonnet, 172, n. 7.

3. *Baptidiatus* ap. Carnoy, p. 163. « Commun dans les manuscrits espagnols du V-VIIIe siècle » (Férotin, *Rev. Quest. hist.*, LXXIV, p. 390, n. 2-5). In quo etiam signum hispanicae latinitatis doctus uir falso agnoscere uelit. Adde *baptidiatus*, *exorcidiare*, *Lib. Ord.*, c. 562. Cf. *Zabulus*, *ibid.*, c. 800.

4. Schepps, in *A. L. L.*, III, 312.

5. De quo uide Meyer-Lübke, *Gr. des L. Rom.*, I, § 458 *(mot mi-savant)*.

6. Consule Meyer-Lübke, *Gr. des L. Rom.*, II, § 583. Voce *baptizio* utuntur Africani (cf. A. Funck, *A. L. L.* IV, 318). Cum uoce *baptidiare* illam conferas uelim quae ap. Chironem occurrit : *acontidiare*, gr. ἀκοντίζειν (Chir., 11, 20; 12, 2; 6, 25). Cf. Veget., I, 26, 4; 27, 2. Thes. Gloss., s. u. *acontizet*. Apud eundem Chironem *sinapidiare* et *sinapisare*.

7. De qua consule Seelmann, *op. laud.*, p. 356, 362. Diehl, *De* m *finali epigraphica*, 1899. Quod ad romanas linguas attinet, Meyer-Lübke, *Gr. des L. Rom.*, I, § 403, 7 : quod ad hisp., Carnoy, *l. s.*, p. 206 sq.

uersibus recitandis ea quasi non sentiatur. Doctissimus uir quidem Bonnet nuper eam professus est opinionem litteram *m* sonum peculiarem suum quasi retinuisse et aetate qua Gregorius Turonensis scribebat etiam uocali quae anteposita est illum sonum qui in naso informatur dedisse. Equidem non credo litteram illam, illo quidem tempore, eam uim seruauisse quae antepositam uocalem adficere posset. Quod demonstrare cum forsitan non hic sit locus, liceat tamen aliqua argumenta adhibere quae saltem ostendant quibus rebus obseruatis et ratione deductis iudicium nostrum confirmetur.

Postquam littera *m* in fine uerborum posita obmutescere coepit accusatiuus singularis ablatiuo in plerisque declinationibus similis factus est. Quod ad secundam, quam dicimus, declinationem attinet, littera *u* siue analogia quadam ceterarum declinationum[1], siue, quod fortasse ueri similius est, soni quadam similitudine acta, iam antiquitus in *o* transiit[2]. Nihil mirum itaque litteram *o* pro litteris *u*(*m*) positam esse et uice uersa, quanquam rarius *um* pro *o*.

Apud Gregorium Turonensem quidem, illa litterarum confusio in substantiuis tantum occurrit[3]; quo obseruato doctissimo uiro Bonnet recte quodam modo concludere licuit casus accusatiuos ablatiuosue re uera confundi, litteram uero *m* sonum proprium seruauisse. Qui cum profiteatur his uerbis : « Je me borne à tirer de mon auteur les inductions auxquelles il donne lieu. Si l'on en fait autant pour plusieurs autres auteurs, il apparaîtra peut-être qu'il y aurait lieu de réviser la règle générale, » *sub iudice* adhuc litem et grammaticis certandi copiam esse, huc congeramus exempla ex nostris excerptis quae non modo ad nomina, sed etiam ad uerba attineant.

O=um. Per *giro*, 63, 10; 40, 14; 38, 15; *acceditur eodem loco*, 96, 19; *contra ipso loco*, 63, 17; *circa puteo*, 68, 14; *satis grato*, 64, 22; *modico*, 87, 22; *sirico*, 76, 12;

1. Acc. *rosa(m)*, abl. *rosa;* acc. *sorore(m)*, abl. *sorore*, etc.
2. Cf. supra, *De uocalibus (o)*.
3. Bonnet, *op. laud.*, p. 154.

suso, 56, 25; (*susu*, 92, 17; 86, 13); *reuersa sum Tharso*, 70, 13.

Accusatiuus (ablatiuus) littera *m* omissa in prima declinatione : *usque ad hora*, 86, 8 ; *intra spelunca*, 84, 30 ; *ad tertia*, 84, 15 ; *ad nona*, 84, 16 ; *intrat...in spelunca*, 85, 11 ; *per tota die*, 85, 8 ; *usque ad nona*, 89, 8 ; *per Pascha*, 91, 11.

Per ualle ipsa, 43, 45 ; *inter Cruce et Anastase*, 89, 5 ; *intra ciuitate*, 65, 6 ; *post lectione*, 52, 1 ; *ad Anastase*, 83, 11 ; *ascendet in monte*, 83, 17[1].

Haec quidem exempla tam ad syntaxin quam ad hunc locum pertinere haud nescio ; sed ex sequentibus intellegetur cur ea hic perpendenda existimemus. Licet enim obseruare idem quod supra in quibusdam *uerborum* terminationibus : sic *nosse* pro *nossem*, 46, 22 ; 50, 14 ; *uenisse* pro *uenissem*, 60, 8 ; *accedere* pro *accederem*, 69, 12[2].

Contra falso adhibetur littera *m* nominibus quibusdam : qua adfixa haec nomina turpes soloecismi fiunt : sic *atrium grandem*, 80, 9[3]. Cf. *quam* pro *qua* 96, 16, et adnot. crit. P. Geyeri hoc loco.

Ut ad priora exempla reuertamur, ex inquisitionibus a docto uiro Carnoy susceptis constat[4] iam primis post Christum saeculis *m* in inscriptionibus Hispaniae aliquando uel falso adhibitam uel omnino omissam esse[5].

S in fine uerborum posita intacta permansit, excepto uno hoc loco : *quale* pro *quales* (cod.), 62, 20. Ex duobus enim locis a Paulo Geyer in medium uocatis[6] nihil concludere licet, cum in utroque sequens *s* mendam quasi

1. Pleraque, sed non omnia exempla e libello excerpsimus.

2. His uerbis signum abbreuiationis deesse quod uocali superponere solent librarii aliquis forsitan existimet : sed id plane incertum. *Carpere* pro *carperem* legitur (in uersu quodam) ap. Carnoy, p. 213.

3. Hicne atrium pro masculino habitum sit, incertum quoque. Cf. infra.

4. Carnoy, p. 219.

5. De eadem re in *Libro Ordinum* uide Férotin, c. 560-561.

6. *Itin. Hieros.*, Praefat., p. XI.

attraxerit : *de illa statua quas*[1] (codex), 49,10; uice uersa : *ad lucernares similiter*, 75, 11 (pro *lucernare*)[2]. Ne mireris ea exempla rariora esse : ex multis quidem a docto uiro Carnoy diligentissime perpensis[3] compertum habemus uarias ob causas *s* in inscriptionibus saepissime omissam esse : quod ad rectam pronuntiandi rationem adtinet, in eo mihi uidetur docto uiro esse adsentiendum, scilicet *s* in hispanica quam dicunt latinitate in fine uerborum positam sonum proprium seruasse[4].

Litterarum *ns* coniunctionem iam ante Christum natum in *s* reductam esse cum inscriptiones demonstrant tum grammatici confirmant[5]. Apud Etheriam unum exemplum uix notatione dignum inuenias, in quo etiam *s* obmutuit : *trauersare*, 37, 20 : in quo uerbo pronuntiando haesisse Etheriam (uel potius librarium) significat haec forma : *transuersare*, 38, 14. *Mesura* iam in inscriptione primo secundoue saeculo post Christum natum incisa occurrit[6].

Alterum quoque exemplum commemorare liceret, nisi huic loco menda calami inesse uideretur : *Astase*, 76, 2 (cod.) pro *Anastase*[7].

RS in *s* reductum inuenias in uoce quadam frequenter in communi quidem sermone usurpata : *susu* = *sursum*,

1. Quo loco priorem mendam (*illa* pro *illas*) posterioris (*statua* pro *statuas*) causam fuisse admiserim.

2. Cf. ap. Fredegarium : *omnes rege Siluiae; rege VII* (septem !), Haag, *l. s.*, § 52.

3. Carnoy, p. 189-206.

4. Carnoy, p. 193, in fine.

5. Seelmann, *l. s.*, p. 284.

6. Cf. Carnoy, p. 177. *Travessa* quod legitur in charta in Asturia scripta (anno 780) ostendit *rs* in *ss* conuersum; de quo uide infra. (Ap. Gorra, *Lingua e lett. spagn.*, p. 177.)

7. Errorem ex confusione quadam cum uerbo *astare* (*astans*, Carnoy, p. 171) ortum esse existimo. Cum enim accentus in secundam *a* incidat non ueri simile est eam obmutuisse, ut factum est in *Isara, Isera, Isra*, ap. Fredegar. Haag, *l. s.*, § 23. *Mansocrenas* quoque commemorare uelim (70, 15), in quo *n* mansit. Sed dum *Mansucrinae*, ap. *Itin. Hieros.*, 17, 3, occurrit, legitur ap. Idat. (*Descriptio conss.* Migne, *P. L.* 51, 909) *Mopsucrenas in fines Ciliciae*. In priore ergo compositi parte formam *Mansu* haud facile agnouerim.

86, 13; 92, 17; *suso*, 56, 15; *susum*, 72, 12[1]. In qua originem quasi proximam hispanici aduerbii *suso* agnoscas; sed satis sit commemorare hanc formam in Italia antiquitus usurpatam esse et eam in Gallica quoque latinitate exstitisse (cf. fr.-gall. *sus*); itaque ei nihil inest quod hispanicae latinitati sit proprium[2].

X. — Satis notum est litteram *x* iam primis post Christum saeculis in *s* permutatam fuisse[3]; sic uice uersa *x* pro *s* scripta est, nec mirum, cum similem fere sonum utraque accepisset. Aliqua exempla ex Etheria excerpamus, uelut *Esebon*[4] hoc loco: *Esebon* ciuitas quae nunc appellatur *Exebon*, 55; *extimari*[5] (cod.), 89, 26; *extimetis*, 98, 25; at plerumque *estimare*, 37, 18; 66, 4, etc.

T in extremo uocabulo positum raro in *d* quasi debilitatur: *aliquod* pro *aliquot*, 54, 25; rursus *aput* pro *apud*, 69, 28; *illut* = *illud*, 41, 6. Falso etiam uerbis in infinitiuo usurpatis adjectum est: *esset* pro *esse*, 89, 21; *faceret* pro *facere*, 60, 2; *furasset* pro *furasse*[6], 88, 17. Ex exemplis

1. *Susum* ap. Carnoy, p. 167 (annis 176-180 post Christum natum). Cf. in ant. hisp. lingua *viesso, bieso* = *uersu, avieso, enves*, etc. Quod asserit doctus uir Carnoy (p. 187) *r* uocis *ursus* in omnibus romanis linguis mansisse falsum apparet ex hisp. *oso*.

2. Quem in errorem cecidisse uidetur doctissimus uir Férotin, dum multa exempla uocis *suso* ex chartis excerpta in medium profert, *Rev. Quest. hist.*, LXXIV, p. 390, n. 2.

3. Seelmann, p. 353.

4. Ex hoc exemplo nihil certius concludere uelim. Veri simile enim est *x* inter duas uocales positum quasi partem soni litterae *c* seruauisse, cum in hispanica lingua ex *x* sic posita *j* orta sit. Vide Carnoy, p. 168-169. *Usorem*, *ibid.*, p. 168: quo loco *s* quam dicimus *mouillée* cum docto uiro Carnoy (p. 169, l. 3) admiserim. Item fortasse in *Esebon*.

5. Hanc formam ex confusione cum *existimare* ortam esse forsitan credas: quod equidem non negauerim (consule Schuchardt, II, 435); sed conferas uelim *estas (extas), destera* ap. Carnoy, p. 171, praecipue *exspectara* pro *ispectra, spectra,* ex quo apparet *ex, es* iam confusa esse. *Freznedo (fraxinetum)* in antiquo asturico monumento anno 780 scripto praebet *xn* in *zn* reductum: quod recentius est quam *xt* = *st* (Carnoy, p. 171). In qua forma explicanda docto uiro non adsentio.

6. Haec menda non occurrit in inscriptionibus.

quae doctus uir Carnoy collegit constat *t* pro *d* saepius occurrere quam *d* pro *t*[1]. Sed cum eo forsitan recte existimes hanc confusionem ueri similius ad orthographiam quam ad pronuntiationem spectare. Maioris esset momenti *-un* pro *-unt* (uel *in*, *en*, *an*) in tertia persona plurali reperire, cum sit compertum eiusmodi formas iam tertio post Christum saeculo in Hispania usurpari (Carnoy, p. 183); sed apud Etheriam omnino desunt; illud tamen ueri simile est *t* in fine tertiae personae pluralis uerborum tempore Etheriae tenuissimum, ne nullum dicam, sonum habuisse[2].

1. Carnoy, p. 180. In monosyllabis uelut *ad*, *quid*, *quod*, *t*, *d*, in pronuntiatione iam antiquitus esse confusa testantur grammatici; cf. Seelmann, p. 365.

In *Libro Ordinum d* pro *t* aliquanto frequentius quam *t* pro *d*. Col. 562, 564.

2. Quod ad francogallicam linguam attinet rem aliter se habere omnibus compertum. Cf. Meyer-Lübke, *Gram. des L. Rom.*, I, 553, in fine.

CAPVT II

Varia de mutatis, confusis, omissisue litteris.

Hoc loco in unum sit uenia aliqua congerendi quae adhuc nulli loco inseri posse existimauimus, et tamen cum litterarum explicatione uel uariationibus quodam uinculo coniuncta sunt.

Consonarvm assimilatio. — Paulus Geyer iam animaduertit codicem Aretinum multa seruauisse quae ex archetypo manare probabile est. Sic « in archetypo assimilatio consonarum neglecta esse uidetur »[1]. Quae exempla Paulus Geyer hoc loco attulit referre nobis uidetur superuacaneum, cum his locis de orthographia tantum, non de pronuntiandi ratione agatur[2]. Rariorem assimilationem litterulae *b* hoc exemplo : *Aggarus* pro *Abgarus*, 60, 17, etc., satis sit commemorasse.

T sequentis *s* similis facta est in *Gessemani*, pro *Iethsemani*, 86, 27, quod uix notatione dignius uidetur.

Prosthesis. — *I* ante *s* quod dicitur impurum uix semel occurrit : *hispatii*, 63, 17. Sed uersa uice *Scariothes*[3] pro *Iscariothes*, 85, 14. Has formas Etheriam scripsisse

1. *Itin. Hieros.*, Praefat., p. IX-X.
2. Cf. ceterum Bechtel, p. 80-81.
3. *Scariot* in *Lib. Ord.*, c. 563.

admittes, si tibi in mentem uenerit ex disquisitionibus docti uiri Carnoy id constare, primum tertio iam post Christum natum saeculo prosthesin in Hispania exstitisse, deinde litteram antepositam ueri similius *i* quam *e*[1] sonuisse[2].

Epenthesis. — Ea occurrit in hoc uno uerbo : *licinicon*, 72, 5, pro *lychnicon* (gr. λυχνικὸν). Litteram *i* recte explanauit doctissimus uir Bonnet[3]. De simplici forma haec scripsit doctus uir Mohl : « *Lucinos*, λύχνος, Enn., *Annal.*, IX, 328, Vahl, nous paraît révéler la prononciation osque[4]. » Quod ad oscum attinet alii uiderint. Satis compertum uidetur, cum litterae χν coniunctae satis difficile emitti possent, *i* litterulam inter eas quasi sponte ortam esse. Cf. *licini*: *candelae* ap. Isid. *Gloss.* (Ex glossario Forcellini-De Vit, s. u.); *Licinium* ap. Chironem (ed. Oder, *ind.*). Cf. denique innumera exempla quae doctissimus uir Schuchardt excerpsit, et, quod ad Hispaniam spectat, Carnoy, p. 112 sq. Epenthesin, quae in hodierna hispanica lingua frequentior est, raro in inscriptionibus apparere Carnoy animaduertit. Adeo ut ne in hoc quidem aliquid hispanicae latinitati proprium inuenias.

Ut de *licinicon* rursus agamus, ne obliuisceris Etheriam haec scripsisse : « quod appellant hic licinicon, nam nos dicimus lucernare; » *hic*, id est *in locis sanctis*, 71, 11; ita ut uerbum graecae rectius quam latinae pronuntiationis sit monumentum.

1. *Ispiritus, Istephanus*, in *Lib. Ord.*, c. 563; at *Estephanus, Esperatus, Esperanda*, c. 562.

2. Carnoy, p. 145-146. Cf. multa exempla ap. Schuchardt, II, 337 sq. Cf. Isid. Hisp., *Orig.*, s. u. *i* (ap. Schuchardt, II, 339-1). Animaduertendum est cetera uerba per *sc*, *sp* incipientia (uelut *scriptura*, *specialis*, *strata*) prosthesi non adfici : idne eo modo explanandum est ut admittas duo uocabula, de quibus agitur, in plebeio quidem sermone, alterum alteram ob causam, frequentissime usurpari? Ceterum in *i* pronuntianda ipsam Etheriam haesisse testantur *plicare* et *plecare;* de quibus cf. supra.

3. Bonnet, *l. s.*, p. 147, n. 6.

4. Mohl, *Chron. du latin vulgaire*, p. 50.

Litterarvm contractio. — Contractio *prendet* pro *prehendit* (et) uix commemorare uelim[1]. *Nil, mi,* quae in inscriptionibus leguntur, apud Etheriam non contracta occurrunt. Item de pronominibus adiectiuis *tuus, suus,* quae iam sexto saeculo post Christum formam *tum, sus* (hisp. *tu, su*) induerunt[2].

De quibvsdam litteris omissis. — Duo exempla occurrunt: *domnae*[3], 70, 30, saepius *dominae*; quae uox cum frequentissime in quotidianum sermonem incideret, nil mirum eam maturius quam ceteras quasi contractam esse. *Domnus* iam primo post Christum saeculo in hispanicis inscriptionibus legitur[4].

Alterum exemplum multo maioris esse momenti nemo est quin opinetur. Constat in plerisque uocabulis compositis eos qui plebeio sermone utebantur quasi duplicem accentum posuisse, id est in utraque compositi parte. Sic euenit ut cum prior accentus spiritu quodam acriore exprimeretur ultima prioris partis syllaba euanescere uideretur; ita ut *bendicens* pro *benedicens* pronuntiaretur. Nil mirum ergo eam formam apud nostram reperiri : *bendicens*, 64, 11 ; 65, 11[5]. Eam in archetypo exstitisse mecum existimabis, si memineris alia eiusmodi in aliis monumentis antiquis esse. Sic *benmerens* in inscriptionibus (ap. Georges, *Lat. d. W.*); *benmerita*[6]; cf. *benficio, benficia*[7]; *Bennate*[8].

1. Schuchardt, II, 507.
2. Carnoy, 118.
3. Sic in codice scriptum : *dõnae*.
4. Schuchardt, II, 411 ; Carnoy, 118. Recentiora exempla ex Valerio excerpta : per ipsum *domnum*, Migne, *P. L.*, 87, 449 B. *Domnae Benedictae uirginis, ibid.*, 467 B. De sensu honorifico uocis cf. inferius, *De Vocabulis*.
5. Sic in codice his duobus locis: saepius *benedicere*.
6. Schuchardt, II, 425.
7. Schuchardt, II, 428.
8. Schuchardt, II, 434. Nihil eiusmodi in inscriptionibus Hispaniae inuenitur : pleraque exempla a docto uiro Carnoy collecta (p. 118-119) parui sunt momenti.

IN VERBIS COMPOSITIS FORMARVM SIMPLICIVM RENOVATIO. — Illud semel occurrit : *obsedebant* scriptum inuenimus (63, 23) pro *obsidebant ;* hoc quidem loco non negauerim mendam ex quadam soni similitudine inter *e* et *i* esse ortam; sed confusionem quandam cum simplici forma *sedeo* in hoc uerbo informando plurimum ualuisse existimo. Omnibus enim satis notum est quo peculiari usu impulsi Itali, Galli, Hispani simplicem formam in compositis renouauerint. *Consecrare* (ter), non *consacrare,* legitur uidelicet quia littera *a* difficilius debilitatur[1].

Obsedebant ex archetypo defluxisse indicat altera quaedam forma a docto uiro Carnoy ex inscriptionibus excerpta : *presedente* (III° post Christum saeculo in Asturia scriptum.)[2].

Illud rarum in inscriptionibus : cf. *dispartiatur* (176-180, post Christum natum), *C. I. L.*, II, 1, 6278, 39[3].

1. Non me praeterit haec ad partem libelli in qua de uerbis agetur haud minus quam huc attinere. Sed cum una forma *obsedebant* occurrat et in ea informanda quaedam soni similitudo multum ualuisse uideatur, de eis hoc loco esse disceptandum existimaui. Cf. *resedebat* ap. Ant. Plac. Bellanger, p. 47; Seelmann, p. 58 sq. ; p. 60, PRESEDENTE.

2. Carnoy, p. 17. Ap. Idat. *Chr. inobedies* et *obaudiens* fere eadem linea (Migne, *P. L.*, 74, p. 742).

3. *Adspargere* frequens in *Lib. Ord.*

CAPVT III

De Formis.

A. De Declinationibvs

Hanc rem tripertito tractari nemo mirabitur, cum de declinationibus nominum latinorum, graecorum, hebraicorum acturi simus; quorum primis studere maioris esse momenti quam ceteris cuiuis consentaneum est; sed pauca in eis reperias quae sermoni quo Etheria usa est propria esse uideantur; pleraeque mendae et apud alios temporis scriptores occurrunt.

Ceterum de cuiusque declinationis formis disserere, quippe quae raro satis in libello reperiantur, cum nobis haud opportunum esse uideretur, eas omnes, dum de casu quoque disceptatur, quasi in unum congessimus.

Accvsativvs singvlaris. — Quo loco de *m* obmutescente disseruimus[1] confusionem quandam in hoc casu euenisse animaduertimus; quo fit ut, cum haec exempla legas : *post biduo,* 68, 4; *per triduo,* 76, 30; *ante sole,* 80, 16, etc. quosdam turpes soloecismos eis inesse credas. Re uera, postquam obmutuit *m,* in illis quidem nominibus quorum accusatiuus in *-em, -im, -am,* cadit, casus ille accusatiuus ablatiuo, in ceteris contra nominibus datiuo similis factus est. De quo cum iam in primo capite satis scriptum sit, iam ad nouam rerum seriem explanandam ire pergamus.

1. Cf. supra, p. 13 sq.

ABLATIVVS SINGVLARIS. — Comparatiui in *i* terminantur : *fortiori*, 45, 22 ; *meliori*, 48, 15 ; *interiori*, 62, 19 ; *editiori*, 63, 33 ; *interiori*, 72, 9 ; *altiori*, 82, 18 ; at contra *mare*[1], 47, 3 ; *grande*, 45, 2. De his formis, quod ad recentiores scriptores attinet, recte iudicauit Max Bonnet : « Pour ce qui est de l'ablatif, la question se réduisait en réalité à une question d'orthographe. La langue vivante du VIe siècle ne connaissait qu'une forme ; l'écriture avait deux désinences, *e* et *i*[2]. »

Quibus uerbis cum plane sit adsentiendum, mirum tamen hanc formam in comparatiuis saepius quam in ceteris uocibus reperiri. Id, si quidem casu fortuito non euenit, hoc modo explicare uelim, ut ablatiui multorum adiectiuorum quae hoc casu per *i* terminantur in *i* seruanda multum ualuerint.

GENETIVVS. — In nominum propriorum *genetiuo* duae formae inueniuntur : *Helpidi*, 65, 23 ; *Helpidii*, 65, 25, quae forsitan librario sint adscribendae[3] ; nil mirum ceterum duas *i* illo tempore in unam contractas esse[4]. Adde quod apud Etheriam nunquam hae formae occurrunt quibus Fredegarius saepius utitur, id est *ii* pro *iae* et uice uersa ; *imperiae* pro *imperii*, etc.[5]. De forma *quadragesimerum* uide supra (p. 1).

DE DECLINATIONVM CONFVSIONE. — Duae fuerunt causae cur declinationes sint perturbatae : primum litterarum, quae post accentum positae sunt, quod plerumque in terminationibus fit, debilitatio. Sic iam diu obseruatum est

1. Apud ueteres scriptores quoque *mare* inuenias, uelut ap. Varronem, Varronem Atacinum, Plautum, etc. Cf. Neue, *Formenlehre*[2], I, 229-230.

2. Bonnet, *l. s.*, p. 359. Cf. *maiori* ap. Eugen. episc. Tolet., *P. L.*, 87, 403 C. Cf. *Lib. Ord.*, c. 562 (*e* pour *i* : adjectifs à l'ablatif, *ineffabile*, etc.).

3. Cf tamen Bonnet, *l. s.*, p. 354, n. 1 (*Bonifati*, IV° saeculo ; *Theudosi*, V°, etc.).

4. In inscriptionibus « deux *i* se contractent souvent dans les flexions *-ii*, *-iis* » (Carnoy, p. 118).

5. Haag, p. 42.

primis post Christum saeculis uocabula quartae declinationis in secundam facile transiisse : exempli gratia apud Etheriam *passos* pro *passus*, 68, 26; 37, 18; at contra *passus*, 46, 1. *Iusso Dei*, 59, 6; 63, 28[1].

Martiriorum (sic enim codex) legitur 79, 7; sed 79, 10, *martyrorum*, quod utroque loco in textum a Paulo Geyer admissum est. Ex priore forma admittas hanc mendam e confusione quadam cum *Martyrium* processisse.

Sed haec leuia; illud grauius : ex generibus confusis noua quoque declinationis confusio orta est. Satis enim notum est omnibus, qui mutationibus student quibus e latina lingua romanae factae sunt, ex nominatiuis accusatiuisue pluralibus nominum neutralium nouam femininam formam informatam fuisse, quae postea communem primam declinationem (femininam) secuta est. Id euenit in multis uocibus quas nunc enumerare longius et etiam superuacaneum est[2]. Aliqua exstant apud nostram exempla, quae hanc mutationem clariorem, si necesse esset, facerent. Velut *uirgultas*[3], 42, 16, quae forma eo maiorem uim tenet quod in hispanica lingua permansit : *verguita* enim, quod in Glossariis ut obsoletum femininum nomen adnotatur, nihil aliud est quam feminum *uirgulta*, *l* in *i* ante *t* mutata, ut fit in quibusdam Hispaniae dialectis[4]. *Statiua*[5] *quam*, 69, 23 (sic

1. Quibuscum locis conferas uelim *lucto* ap. Valerium, Migne, *P. L.*, 87, 450 D; sed *ibid.*, 450 A, *luctu* legitur. Adde *iuso* = *iusso* (?), *C. I. L.*, II, 4963, 8 (Instr. Domest.); *porticos arcos*, *C. I. L.*, II, 3420 (anno 589 post Christum, Tarracone). *Iusso* in *Lib. Ord.*, c. 573.

2. Cf. Meyer-Lübke, *Gram. des L. Rom.*, II, p. 76-79; Schwan-Behrens, *Grammatik des altfr.*[4], § 283.

3. Cf. P. Geyer, *Kritische Beiträge*, p. 21; Bonnet, *l. s.*, p. 253, n. 5. Cf. haec exempla ap. Valerium : *in arctissima reclusionis mancipatus claustra*, Migne, *P. L.*, 87, 433 C; *claustrā*, *ibid.*, 87, 455 A. *De dogma Patrum*, *ibid.*, 87, 456 C, hic sit uenia adnotandi quanquam ex confusione cum feminino singulari est ortum. Suspicor *stabulas* pro *fabulas* esse legendum ap. Idat., *Chr.* ad annum 416 : « Ataulfus (rex Gothorum)... inter familiares fabulas iugulatur. » Olympiodorus enim scribit eum in *stabulo* occisum esse. Cf. Migne, *P. L.*, 74, p. 713, n. c. et n. XXVI.

4. Praecipue asturicis : cf. E. Gorra, *Lingua e lett. spagn.*, p. 74 : *muito*, *moyt* (multum), *buitre (uulture)*.

5. De quo uerbo uide Georges, *Lat. d. W.*[7], s. u. Plura infra, in *Ind. uerb.*

cod. sed *statiuam* legendum); *facere statiuam*, 61, 6; *facta statiua triduana* (abl. abs.), 70, 13; idem uocabulum neutralem formam seruare uidetur hoc loco : *statiua triduana facere*, 61, 31, nisi in hoc exemplo formam femininam *m* subaudita agnoscere malis, quod mihi ueri similius esse uideatur[1].

Encenia[2] nom. plur. neutr. occurrit 100, 5; at *enceniarum*, 100, 1, 11, 15; 101, 1.

Fit aliquando ut neutralia nomina in *-um* terminata pro masculinis accepta adiectiua quoque quae cum iis coniuncta sunt ad masculinam formam adduxerint : sic inuenias *ad illum palatium superiorem*, 64, 20; *altarium lapideum quem posuit*, 41, 19; *pulchriorem territorium*[3], 50, 8. Versa uice ex accusatiuo *canticum* nominatiuus *canticus*, 51, 32, factus est[4].

Adde *pulpitus* pro *pulpitum*, 53, 16; *pulpitum* ap. Isid. Hisp., *Lib. gloss.*, *P. L.*, 87, 1368.

Num *Persi*, 62, 29, pro *Persae* sit positum incertum; nulla enim alia eiusmodi forma in libello occurrit.

Restat ut pauca dicam de illa singulari forma *corpo* quae pro *corpore* in codice (71, 4) legitur. Quae si non turpis librarii menda est, operae pretium erit aliqua de ea proferre. Cur hoc uocabulum in secundam declinationem translatum sit nulla iusta uidetur esse causa nisi admittas id declinatum fuisse *corpus, corpi*, quippe cum hispanica lingua cum uoce *cuerpo* eiusmodi formam requirat. Quae opinio eo

1. Cf. ap. Valer., *P. L.*, 87, 448, *stipendia propter quam.... igne cremata est. Ibid.*, 447 A : *de innumera discriminum certamina. Vestimenta eius candidior. ibid.*, 450 B.

2. Forma *enceniae* tantum commemoratur a docto uiro Paulo Geyerio, in *Ind. uerb.*, 399 b.

3. Cf. ap. Valerium, Migne, *P. L.*, 87, 431 A : *exteriorem ministerium; euangelium loquentem, ibid.*, 448 B; *euangelium dicentem, ibid.*, 428 D. Versa uice : *monimentus fecit* ap. Carnoy, p. 192 (Augusti tempore). Cf. alia exempla generum permutatorum in *C. I. L.*, II, Suppl., 1186 b : *horreus, mesoleus, studius*.

4. Duplicem huic uoci fuisse formam testes sunt romanae linguae. Cf. Körting, s. u. *canticum*. Provincialis et francogallica tantum lingua masculinam (neutr.) formam denuntiant. Hisp. *cántigo, cántiga*.

acrius confirmabitur si tibi in animum subierit uocem *caput* quoque eadem mutatione affectam fuisse. Apud Fredegarium enim legitur *capo*[1], quam formam inter romanas linguas francogall. *chef*, prou. *cap* exstitisse significant[2]. Cum enim *t* in *caput* obmutuisset, uocis ultima syllaba eundem fere sonum quam *domino*, *dominu(m)* obtinebat. Quanto uero facilius id de *corpus* admittendum, cum nominatiui forma quasi iam secundae declinationis esset[3] !

Declinatio nominvm graecorvm[4]. — Hoc loco in obseruatione praeuia illud in lucem proferendum : scilicet Etheriam graecas quibus usa est uoces duobus modis nosse potuisse : siue ex libris a Patribus, qui dicuntur, scriptis, siue ex auditu, quod uerbi gratia ad nomina propria spectat; ne mireris ergo multa ex posterioribus mendis tam grauibus esse adfecta ut nostram graecum non nosse queas dicere.

Prima (graeca) declinatio. — *Ascites* (gr. ἀσκητής) : pl. *ascites*, 52, 21, etc. Desideratur apud Neue.

Epiphania uidetur indeclinabile esse hoc loco : pridie a beatissimo *die epiphania*, 49, 19 (at contra *dies* cum genetiuo *dies paschae*, 91, 13 ; *diebus enceniarum*, 101, 2) ; *per epiphania*, 91, 13 ; 101, 2. Sed exemplum ita explicandum esse mihi uidetur ut admittas *m* obmutuisse ; quod ad prius spectat, *epiphania* ablatiuum esse haud difficile existimes : id ideo in syntaxin incidit.

1. Haag, *l. s.*, § 66. Alterum exemplum ap. J. Pirson, *La langue des inscriptions latines de la Gaule*.

2. Hisp. formam *cabo* ex *caput* non ex *capo (capum)* defluxisse opinatur Meyer-Lübke, *Gr. des L. Rom.*, II, § 9, ex forma asturica. Cf. *ibid.*, I, § 308.

3. Cf. Meyer-Lübke, *l. s.*, II, § 10. *Corpus* in hispanica latinitate exstitisse ueri simile est : *pechos*, *huebos* in prisca lingua *pectus*, *opus* denuntiant. De quo consule Meyer-Lübke, II, § 10; Carnoy, p. 204.

4. De hac declinatione in inscriptionibus Hispaniae, consule *C.I.L.*, II. Suppl., p. 1185[b].

Eufrates[1] (nom.), 61, 12; *Eufraten*, 61, 15. Cf. de eodem loco syntaxin.

Hierusolima semper cum forma primae declinationis occurrit.

Moyses (hebraicum quidem, sed a lingua graeca, in quam iam diu transierat, mutuatum): nom. *Moyses*, 40, 7; gen. *Moysi*[2], 40, 8, etc.; dat. *Moysi*, 42, 18; acc. *Moysen*, 51, 19; 50, 27.

Palestina pro *Palestinam* legitur, *m* omissa, 50, 23.

Pascha[3]: gen. *Paschae*, etc., secundum legem: *Pascha* pro *Pascham*, 73, 12, etc.

Pentecosten, 92, 31; 75, 23, formam graecam reddit. Cf. *per Pascha et Pentecosten*, Idat., *Chr.* ad annum 458. *Usque ad Pascha*, Fructuos., *P. L.*, 87, 1108 A.

Ramesse, *Ramessen* acc. (pro nominat. cf. Synt.), 48, 20. *Ramesse*, *n* suppressa, 48, 20; 49, 14. Ablat. *Ramesse*, 50, 16.

Graecus genetiuus obuersatur in *Sodomitum*[4], 54, 14.

Archiotipa[5] tam ad hanc quam ad sequentem declinationem attinet. Acc. *archiotepam*, 62, 11; *archiotipa*, 64, 5. Adiectiua composita, ex graeco translata, in lingua latina secundam masculinorum declinationem sequi solent. Pauca tamen reperiuntur exempla quibus feminina terminatio affixa est. Sic apud Neue, ut de adiectiuis cum gr. τύπος compositis tantum loquar, commemorantur; *zelotypae scrinia moechae*, Iuuen., VI, 278; *zelotypa*, Petron., 69, 2; *zelotypam*, Fulgent., *Myth.*, 3, 5. Hoc uero apud nostram notatione dignum esse uidetur non modo uocem ex adiectiuo substantiuum factam esse, sed et femininam induisse formam.

Secunda (graeca) declinatio. — *Lazarium* cum forma

1. Legitur ap. Theodosium (vi° saeculo ineunte): *Eufrates*, p. 144, 21; sed *Eufrata*, 144, 22; *Eufrata*, *C. I. L.*, II, 5129.

2. Frequens ap. August., Tertull., Sulp. Seu.

3. Cf. supra quod de *Moyses* scripsimus.

4. Neue, *Formenlehre*², I, p. 20: « Der Genetiv auf -*um* ist vorzüglich häufig bei griechischen und barbarischen Völkernamen. »

5. Desideratur ap. Neue. Vox *imago* subaudita esse uidetur.

Lazariu, 77, 4; 91, 15, occurrit, quod uix notatione dignum est. Abl. *Lazario*, 82, 2, 12. Acc. *Lazarium* legitur 82, 3, 5.

Tertia (graeca) declinatio. — Factum est saepius ut ex accusatiuis in *a* terminatis graeca nomina in primam latinam declinationem transierint.

Id euenit in *absida* (abl.), 98, 16. De forma huius uocis iam scriptores ecclesiastici disceptauerunt. Velut ap. Paulinum Seuerum : « *Absidem* factam indicauit. Sed de hoc *absidam* an *absidem* magis dicere debuerim, tu uideris. » Item ap. Isidorum Hispalensem, *Orig.*, XV, 8 : « Sed utrum *absidam* an *absidem* dicere debeamus, hoc uerbi genus ambiguum quidam doctorum existimant. Vtrumque auctoribus usurpatum[1]. » Exempla ex scriptoribus superfluum est excerpere.

Ebdomada. Nom. plur. *ebdomadae*, 96, 24; gen. plur. *ebdomadarum*, 78, 12; acc. plur. *hebdomadas*, 80, 24. Apud Neue commemorantur : *hebdomadam*, *hebdomadae* (dat. sing.), *hebdomada* (abl.); *hebdomadarum* desideratur[2].

Libiada (nom.), 51, 13; *Libiadam* (acc.), 54, 8; at *de Libiade*, 52, 10.

Eandem declinationem secuta esse uidetur *Persida;* quae forma bis occurrit apud nostram : *reuersi in Persida*, 63, 27; *decima mansione est hinc intus in Persida*, 67, 20. Sic ap. Theodosium, *Itin. Hieros.*, p. 149, 15; *omnis Persida*, Fredegar., 126, 22. *Persida* occurrit (acc.) ap. Ouidium (*Met.*, I, 62; frequens ap. Plin.)[3]. *Persidem* ap. Corn. Nep., *Eum.*, 7, 1[4].

Thebais; Thebaida. Ad formam *Thebais* referendam esse

1. Vtrumque exemplum ap. *Onomasticon rerum et uerborum* ap. Migne, *P. L.*, 74, 399 sq. Alterum quoque a doctissimo uiro Neue iam commemoratum, *Formenlehre*², I, 324.

2. Hanc formam frequentissime occurrere ap. Hieronymum animaduertit doctissimus uir Gœlzer, *op. laud.*, p. 280. *Hebdomadarum*, Hier. *Ep.*, 22, 7. *Hebdomada* (abl.), Fructuos., *P. L.*, 87, 1107 C. *Hebdomades* (nom. sing.), Apring., p. 3; abl. *ebdomada*, Apring., 10.

3. Neue, *Formenlehre*², I, 307.

4. *Ibid.*, I, 212.

Thebaidem, 50, 14 [1], satis manifestum est. Cetera exempla cum forma *Thebaida* congruunt : *Thebaidam* 49, 22 ; de *Thebaida*, 50, 2 ; 100, 19. Quam formam quam libenter scriptores qui eadem fere aetate qua Etheria exstiterunt in scripta sua admiserint, multa exempla sub uerbo ap. Gœlzerium [2], *Dict. lat. fr.* congesta satis significant.

Calcedona [3] (acc.), 70, 19, graecam formam reddere uidetur. At *Eleona* [4] ex quodam nominatiuo *Eleona* defluxit.

Nomina in *-is* terminata. — *Anastasis* : gen. *Anastasis*, 71, 13 ; acc. *Anastasim*, 71, 30, *Anastasem*, 79, 17 ; *Anastase*, quae forma quam saepissime occurrit. *Anastasi* legitur 72, 27, quo loco ablatiuum *Anastase* exspectes. Cum littera *i* iam ea aetate tenuiorem quendam sonum teneret, ueri simile est Etheriam falso hanc pro illa forma scripsisse [5].

Cathecisis (catechesis). — Gen. (?) *cathecisis*, 98, 8 ; acc. *cathecisin*, 98, 3, *cathecisen*, 98, 5. Scribendumne sit cum Cholodniako *fit cathecisis*, 98, 3, pro *fit cathecisin*, quod librarius scripsit, incertum ; alia enim exempla in libello occurrunt quibus clare significatur subiectum aliquando accusatiui casus formam pro nominatiui forma induisse ; quod cum in nominibus urbium in primis acciderit, in communibus quoque idem aliquando factum esse non negauerim.

Genesis. — Gen. *genesis*, 48, 5 ; abl. *genesi*, 65, 14 ; 65, 3 ; *genese*, 97, 20. Cf. quae supra de *Anastasi*, *e* scripta sunt. Gen. *genesis* in inscriptionibus [6].

1. Deest in *Ind. nom. et rerum* in editione P. Geyerii.

2. Idem alia exempla ex Hieronymo et Sulpicio Seuero excerpsit ; cf. *Latinité de saint Jérôme*, p. 280 ; id. *Obseru. Gramm.*, p. 31.

3. Ap. Sallust. *Hist. Mithrid. Ep.*, 13, cf. Neue *Formenlehre* [2], I, 306.

4. XV exempla commemorata in *Ind. nom. Itin. Hieros.*, p. 349.

5. Cf. *basi*, *C. I. L.*, II, 2915 ; *base*, *ibid.*, 1163. Dat. sing. *i* pro *e*, et uersa uice, *C. I. L.*, II, Suppl., p. 1186 A.

6. Anno 155 post Christum natum, *Bulletin hispanique*, 1904, p. 348 (Emerita). *Heresis* indeclinabile haberi uidetur hoc loco ex Idatio excerpto : « heresis eius blasphemissimam... condemnant... » (*Chron.* ad annum 400.)

Diaconus.— Cum duplici forma declinatum occurrit : dat. sing. *diacono*, 72, 17 ; nom. plur. *diacones*, 71, 19 ; 73, 17 ; dat. plur. *diaconibus*, 72, 15 ; 61, 5. De hac forma fuse et docte disseruit Max Bonnet[1]. *Diaconus* in inscriptionibus non raro apparet ; apud Gregorium, si Bonnetio credas, *diaconus* frequenter occurrit. Pluralis forma *diaconi*, qua Gregorius utitur[2] apud Etheriam deest : cuius formae locum tertiae declinationis forma *diacones* (quae rursus ap. Gregorium desideratur) occupat[3]. Cf. *diaconum* ap. Idatium, *Chr.* ad annum 447. Cf. *subdiaconus*, 89, 4.

Nomina propria hebraica. — Pleraque, ea quidem quae in graecam latinamue linguam non transierant, sunt indeclinabilia : *Nabau*, 51, 20, etc.[4] ; *Araboth*, 50, 28, etc.; *Og*, 55, 3 ; *Segor*, 54, 14 ; *Loth*, 54, 18 ; *Iericho*, 54, 29 ; *Moab*, 50, 28 ; *Syna*, 50, 17 ; *Ruben*, *Gad*, 51, 10.

Haec nomina excipiantur : *Abrahae* (gen.), 65, 11 (cf. *Abrahae*, Tertull., *Idol.*, 13) ; *Charram*[5] (acc.), 65, 5 ; *Charris* (abl. plur.), 65, 1 ; *Charra* (abl. sing.), 67, 2. Hic animaduertendum utrumque nomen utpote quod accusatiui instar in *-am* terminaretur in declinabilem formam translatum fuisse. *Naue* forma semper legitur[6].

1. Bonnet, *l. s.*, p. 370-371 et not.

2. *H. Franc.*, 9, 41, p. 399, 5.

3. De qua duplici forma recte admonuit Max Bonnet : « La double déclinaison (sc. huius uocis) est connue et indiscutable. » Ap. Hieronymum, cf. Gœlzer, *l. s.*, p. 208. De uoce scripsit E. Ferrère : « *Diaco, diaconis* forme commune à V. de Vita et aux écrivains ecclésiastiques des derniers (?) siècles » (*Rev. de Phil.*, 1901, p. 115). *Diaconus* solum in inscriptionibus christianis occurrit. *Diaconus*, plur. *diacones* in *Lib. Ord.* Cf. quoque Bayard, *Le latin de saint Cyprien*, p. 56.

4. Cf. *Ragau*, acc. ap. August. Neue, *Formenlehre*², I, 583.

5. Iam declinatum apud Lucan. ; cf. Georges, *Lat. d. W.*, s. u. Vide ap. eundem formam hebraicam : *Charan, Haran*.

6. *Naue* pro genetiuo usurpatur apud Lactantium Augustinumque ; Neue, *op. laud.*, I, 583.

B. De Comparativis et Svperlativis informatis

Comparatiuos haud frequenter inuenias : quorum maximus numerus ex usitatissimis uerbis constat : uerbi gratia *altior* (quinquies), *maior* (sexies decies), *melior* (ter), *minor* (bis), *senior* (ter) : at *iuuenior* pro *iunior*, 90, 14.

Inter comparatiuos qui in neutrali forma usurpantur notandi sunt : *superius* frequens in hac locutione : *superius dixi* (quindecies), *citius* (ter); hic quoque notemus raras illas formas : *gratius*, 64, 26 ; *temporius*[1], 85, 22.

Inter superlatiuos pauci mihi digni uidentur qui in lucem proferantur : *amicissimam*, 69, 26; *cultissimos*, 50, 5 ; *famosissimum*, 70, 19 ; *inpensissimam*, 41, 22 ; *maximus* sexies, at *minimus* semel, quod forte accidit ; *optimam*, 42, 21 ; *proximo*, 69, 13 ; *planissimam*, 37, 6.

Superlatiui cum *per* formati : *perlustres*, 62:22 ; *permodici*, 68, 24 ; 48, 30. (Cf. Chiron., 43, 15.)

Superlatiui cum aduerbiis informati[2]. — Cum aduerbio *ualde* (frequentissime) : saepius *ualde* adiectiuo praeponitur (duodeuicies), rarius postponitur (sexies).

Superlatiuus cum aduerbio *uere* informatus uidetur : *uere sanctum*, 69, 19 ; 52, 21 (quater). Substantiuis etiam eandem particulam adiunctam reperias, his quidem exemplis : *uere homo*, 49, 21 ; *uere homines*, 66, 21.

Superlatiuus cum *infinitum* : *altus infinitum*, 59, 14 ; *infinitum ingens*, 37, 5.

1. De hoc aduerbio uide Gœlzer, *Dict. lat.-fr.*; Georges, *Lat. deutsches W.* Hic comparatiuus ab eo quod est *tempore* deriuatus est, ut apud ueteres scriptores *temperius* a *temperi, tempere*. In hisp. et port. linguis comparatiuos in neutrali forma usurpatos euanuisse adnotat Meyer-Lübke, *Gram. des L. Rom.*, II, § 66, in fine. Cf. E. Gorra, *Lingua e lett. spagn.*, p. 100.

2. Non me fallit quae sequuntur haud minus ad syntaxin quam ad hunc locum pertinere ; sed commodi gratia ea nunc exponenda opinatus in unum, dum de comparatiuis superlatiuisque ago, congessi.

Satis cum positiuo frequenter usurpatur : utramque formulam inuenias : *satis religiosus*, 49, 7, et *pulchrum satis*, 56, 5, etc. (*satis* postposito). In plerisque romanis linguis aduerbia e *satis* deriuata in superlatiuis informandis adhibita sunt : de quo consule Meyer-Lübke, *Gram. des L. Rom.*, III, § 202, ubi occurrunt : ital. *assai grande*, hisp. *asaz viejo*.

Hoc loco adnotanda denique quaedam superlatiui species, quae *geminatio* [1] dicta est et ea scriptores illius aetatis satis frequenter utuntur : *lente et lente* (quinquies), 95, 4, etc.

Haud raro aduerbia etiam cum comparatiuis uel superlatiuis coniuncta sunt, contra casti sermonis legem : uelut *melior satis*, 47, 1, in quo exemplo *meliorem* omnino positiui adiectiui uice fungi haud credo posse demonstrari.

Modice et *modicum* etiam saepius eo modo posita sunt : *modicum acrius*, 53, 11 ; *modice quasi altiorem*, 53, 17 ; *quasi modice altior*, 51, 10.

Satis denique etiam superlatiuo postpositum legitur : *optimae satis*, 56, 7 ; 57, 25, quo loco *optimae* uim superlatiui iam amisisse non omnino negauerim.

Superlatiuus cum *ingens* : *ingens simillimus*, 62, 12 [2].

Quae supra scripta sunt si inspexeris, animaduertes nullum comparatiuum cum adverbiis *plus, magis* formatum esse. Quod ad Gregorium Turonensem attinet, scripsit Max Bonnet [3] *plus* apud eum raro adhiberi. Mirum quidem apud Etheriam hanc uerborum circumscriptionem [4] non

1. De qua confer Ed. Wölfflin, *Münchener Sitz. Ber.*, 1882, p. 477-485.

2. Cf. *tam profusissimas* ap. Eugenium Tolet. episc., *P. L.*, 87, 413 A. Pag. 74, 4, legitur : *ut quamuis durissimus moueri possit;* ubi cum *quamuis durus* exspectes.

3. Bonnet, *op. laud.*, p. 451. Ap. Sid. Appollin. contra frequentius occurrit : Bonnet, *ibid.*, n. 1.

4. Cuius antiquissimum exemplum Ed. Wölfflinius ex Ennio excerpsit : *plus miser* (*A. L. L.*, I, 100).

occurrere; sed eam serius demum satis frequenter apparuisse demonstrauit Diez. Ceterum hispanica lingua, in comparatiuis et superlatiuis informandis, aduerbio *magis*[1] libentius quam aduerbio *plus*[2] usa est.

C. De Pronominibvs.

Is, ea, id. — Plur. *hii* potius ad *is* quam ad *hic* pertinere iam P. Geyer adnotauit (*Itin. Hieros.*, p. 402, s. u. *hic*). Sic *hisdem* pro *iisdem* legitur 84, 2, etc. *Ii* in *i* contrahitur, nulla *h* praeposita, in forma *isdem* quae bis occurrit, 55, 8; 100, 24. Si Prisciano grammatico credas « in compositione *idem* et *isdem* per unum *i* scripsisse, quia nulla confusio fit significationis, inueniuntur pro *eidem* et *eisdem*[3]. » Facilius admittas duas *i* in unam facillime, in plebeio quidem sermone, contractas esse.

Apud Valerium[4] *hii* mihi legenti bis occurrit. In antiquis hispanicis glossis *hii* per *estos* explicatur[5].

Apud Gregorium Turonensem quoque *hisdem* saepe occurrit; de quo scripsit[6] Max Bonnet : « paraît reposer sur la même confusion de *is* et de *hic* que *his* et *hii.* »

Vt ad *hii* reuertamur, commemorandum hanc formam a doctissimo uiro Max Bonnet ad *hic* referri : cui equidem omnino adsentior. Quaequae est uera rei explanatio, formam

1. Ap. Idatium, Gallaecum, *mage* legitur, quod cum hisp. *mays* parum congruit, Migne, *P. L.*, 74, 701 (*Praefat. Chron.*). Nulla apud eum forma comparatiui uel superlatiui mihi uisa est digna quae notaretur. *Valde* perrarum est, cf. magnum *ualde* exercitum, *Chr.* ad annum 469. *Plus prolixum* ap. Valer. *P. L.*, 87, 434 B.

2. « Déjà les écrivains chrétiens préfèrent *magis* en Espagne, *plus* en Gaule et en Italie » (Meyer-Lübke, *Gr. des L. Rom.* III, § 202).

3. Neue, *Formenlehre*², II, 194.

4. *P. L.*, 87, 428 D; *ibid.*, 429 A.

5. Gorra, *Lingua e lett. spagn.*, p. 181, 81.

6. Bonnet, *l. s.* p. 384.

hii ex quadam confusione cum *ii* defluxisse satis consentaneum est[1].

De *hic* paucis disserendum, cum una tantum forma digna sit quae notetur : [fundamenta]... *hae*[2] sunt de palatio, 57, 8. Quod exemplum cum apud Etheriam unicum esse uideatur, non superuacaneum forsitan sit de eo fusius disceptare. Quodsi librarius sic re uera scripsit, illud admittendum eum ex quadam confusione cum forma *haec* pro *hae* in feminino plurali[3] in errorem cecidisse.

Vtrum *hic* rursus pro *hi* positum sit hoc loco « quam *hic* appellant », 82, 28, incertum. Veri similius est id aduerbii uicibus fungi[4].

De pronomine *ille* quoque pauca. *Illum* palatium, 64, 20, non ad neutralem formam pertinere uidetur; ea ita libentius est explananda ut admittas ex terminatione *um* uocis sequentis *(palatium)* communem formam *illud* in *ilium* mutatam esse; quod eo ueri similius est quod uocabulum *superiorem* eadem confusione quasi affectum masculinam formam ipsum adeptum est. De quo cum in animo sit infra disserere[5], ad eum locum longiorem quoque rei explanationem remittere nobis liceat. De ceteris exemplis quibus *m* desideratur, ueluti *illa perlegerit* pro *illam*, 85, 4, fere nullam iam mentionem faciendam censemus.

In pronomine *ipse* neutralis forma *ipsud* notanda. Quemadmodum Romani *ille, illa, illud* dicebant, sic, qui quidem sermone uulgari uterentur, *ipse, ipsa, ipsud,* quae

1. Cf. *hii* ap. Fredegarium, *Revue de Phil. française,* 1900, p. 162.

2. Forma deest ap. Neue.

3. Quod ad *haec* nominatiuum pluralem femininum attinet consule Bonnet, *l. s.*, p. 388-389 : « L'existence de *haec* féminin pluriel ne peut être révoquée en doute. »

4. Sed ap. Valerium : « Quoniam propterea *hic* suis non miserti sunt membris » (*P. L.*, 87, 427 A). Cf. *Hic illi* qui supra praefati... *ibid.*, 427 D. Cf. 430 C, ubi *hi* legitur, quanquam plerique codices *hic* praebent (*Hic* antiqui gradientes).

5. Cf. infra *Synt.*

forma apud nostram quater occurrit. Deest apud Gregorium Turonensem[1]; eam apud Fredegarium reperiri testis est Haag[2].

Formam *ipsud* Neue in librum suum, nescio quo pacto, non admittendam existimauit. Ipse tamen animaduertit illam formam quater exstitisse in editione grammatici Pompeii[3] a Lindemanno curata, sed eam a Keilio emendatam esse; qui, cum ceteris locis *ipsud* in *ipsum* correxisset uno tamen loco[4] indicauit duos codices Parisienses formam *hoc ipsud* habere. Nulla nunc est causa cur haec forma a reliquis formis barbari illius sermonis quo plebs, primis quidem saeculis post Christum, usa est segregetur.

Qui pro *quae* legitur 51, 13; quae forma cum in codice exstet et cum aliis similibus formis apud Fredegarium[5] occurrentibus congruat, eam in textum libenter admiserim.

Aliqui hominum pro *aliquis*, 46, 8, ex pronomine *qui* informatum. (Cf. *Thes. ling. lat.*, p. 1607, 35.)

D. De conivgationibvs.

Hactenus de declinationibus et de uocibus declinabilibus. Si nunc ad coniugationes uenimus, hoc primum animaduertendum e confusione litterarum quibus uoces terminantur quaedam quae dicimus uerba in coniugationem aliam quam quam uulgo sequuntur transiisse. Nec mirum; illud enim supra satis compertum habuimus post accentum

1. Bonnet, p. 301, 385.

2. *Die Latinität Fredegars*, § 73. Eius adnotationi hoc addendum, eodem loco codicem quendam formam emendatam *ipsum* praebere. Cf. ed. Krusch, *Adnot. crit.* Cf. *Lib. Ord.*, c. 571.

3. *Comment. in Donat.*

4. Keil, p. 176, 12.

5. Haag, *op. laud.*, § 75. Mendae causa tibi fiet clarior, si in mentem uenerit *qui* pro *que* iam eo tempore usurpatum esse. Cf. ap. Fredegarium *ruinam qui, in turre qui; silua qui uocatur*, 192, 2.

litteras *e* et *i* similem, aut fere si milem quendam sonum consecutas esse, ita ut eodem modo pronuntiarentur. Iam uero fit idem in scriptis quae eadem tempestate sunt composita. Quid mirum ergo *uadet* pro *uadit*, *mittit* pro *mittet*, etc., apud Etheriam occurrere?

Superuacaneum est omnia exempla in medium afferre: aliqua tantum liceat enumerare: *ascendet*, 83, 17; *benedicet*, 72, 3; *colliget*, 73, 18; *descendet et non sedet*, 71, 31: *deseret*, 51, 3; *dicet*, 98, 20; 71, 24; *includet*, 70, 11; *leget*, 85, 1, etc.[1].

Mittet... benedicet... egreditur, 75, 6, 7; *mittet et dicit*, 83, 6; *subit... et leget*, 82, 17-18; *ducitur... uadet*, 72, 30; *facit... benedicet*, 72, 31[2].

Sic etiam in passiuis: *deducetur* (itur), 84, 4.

Non omittenda barbara illa forma *offeret* pro **offerit* (offert), 81, 26; 91, 5, etc. Quae menda unde sit orta satis manifestum; cum ex *lego, legit*, ex *desero, deserit* consequatur, sic ex *offero, *offerit* (et). Eadem menda in passiuo occurrit: *offeritur*, 86, 1; sed *offertur*, 93, 25; *profertur* 76, 15. Idem in *deferet : si parentibus deferet*, 96, 30. *Offeret* sexies occurrere in inscriptionibus hispanicis testis est Carnoy (p. 14). *Praeferet* (praefert), Apring., p. 10.

Quibus exemplis ne existimes cum docto uiro Férotin uestigium inesse hispanicae latinitatis[3]; eaedem enim formae in Gallia et Italia quoque occurrunt. Sic *ferit*, *C. I. L.*, XIII, 1183[4]. *Offerit* in legibus Alamannorum[5].

1. Exempla non deesse apud recentiores scriptores nemo mirabitur. Cf. ap. Valer., *P. L.*, 87, 442 D; ap. eundem : « tanta exarsit odii caecitate... ut nec *pepercere* » (id est *peperceret*, pepercerit), 444 A. *Componetur.... praeparatur*, Apring., p. 10 et pass. In *Lib. Ord.*, cf. c. 562, sub littera *e*.

2. Hic uero locus : *cum leget affectio uestra... peruidet*, 44, 17, eademne menda corruptus fuerit dubium. Illud libentius admittere uelim *peruidet* a librario abreuiatione litterarum *et* pro *ebit* falso admissa scriptum esse. *It* pro coniunctione *et* scribi satis notum. Cf. Max Bonnet, *l. s.* 115, n. 3.

3. *Rev. Quest. hist.*, tomo LXXIV°, p. 390, 2, 2.

4. Ap. Pirson.

5. Schroeder, *Rom. Elem. in dem Latein der Leg. Alam.*, ex Pirson.

Feris et *feritis* apud Firmicum Maternum et Commodianum[1].

Si nunc ad tertiam pluralis personam uenerimus, in ea coniugationum permixtio, quanquam alia ex causa, manifestior apparebit. Iam Max Bonnet animaduertit nusquam eas quasi permixtas formas frequentius legentibus occurrere quam in *Peregrinatione*. His enim uerbis utitur: « Nulle part peut-être ces formes ne sont aussi fréquentes que sous la plume de Silvia[2]. »

Ex uerbis in *-io* cadentibus pauca occurrunt. Si codicis formam admittere uelis, cum librario *custodent*, 88, 12, scribendum; qui cum barbariorem, siquidem gradus barbariae insunt, formam *custodeant* scripsisset, culpae conscius litterulam *a* deleuit. Sed mirum quantum idem, cum in eadem pagina *pertranseant* scripsisset, id in *pertranseunt* correxit. Nonne utroque loco librarii calamum errauisse existimandum? Libenter si ad *a* spectamus: cum uero mendae partem tantum scriba correxerit et barbaram formam *custodent* seruauerit, concludere liceat aliqua *uerba*, ex iis quae in praesenti per *io* terminantur, eandem formam quam cetera, id est in quibus *-i-* desideratur[3], induisse[4].

Quae fuerit noua illa terminatio sequentia exempla declarant: *accedent* pro *accedunt*, 75, 9; *se colligent*, 77, 17; 84, 17-18; *descendent*, 71, 29; 71, 14; *dicent*, 48, 27;

1. Georges, *Lexikon*, ap. J. Pirson.

2. P. 430, n. 4.

3. Cf. alia exempla ap. Haag, *l. s.*, § 82 : quibus *concutunt*, Fredeg., 109, 27, addendum ipse animaduerti (*Rev. de Phil. franç.*, 1900, p. 163). Apud Gregorium Turon., part. *fodentes* (Bonnet, p. 427-28, n.); apud Fredegar., *odens*, 139, 13 (*Rev. de Phil. fr.*, 1900, p. 163). Si autem exempla a docto uiro Bonnet in unum congesta inspicias, obseruare licet Gregorium quidem ad coniugationes *-ere*, *ire* confundendas propensum fuisse, sed litterulam *i* in uerbis in *-io* terminatis perraro omisisse : et idem apud nostram euenit.

4. Pag. 90, 23, legitur in codice *exent* litterula *i* litterulae *e* superposita, quod, fortasse *exient* legendum, in textum Bechtel admisit ; P. Geyer idem in *exierint* correxit, quod futurum exactum post *quemadmodum* omnino ueri simile est ; forma uero *exient* aptissime congrueret cum antiq. hisp. *eissen* quod legitur in *Recueil des Chartes de Silos*, anno 1098.

legent, 76, 24; *pendent*, 73, 6; 73, 13; *ponent*, 46, 5; *ostendent*, 46, 5; *uadent*, frequentissime, 75, 28; 49, 1, etc.; at *uadunt*, 93, 9[1].

Sic uersa uice *responduntur*[2], 71, 17. Quae formae unde sint ortae satis constat: *ĭ* post accentum in *e* conuersa, hanc speciem praebebat coniugatio uerborum tertiae coniugationis: *lego, leges, leget, legemus, legetis*, ex analogia *legent*. Inter romanas autem linguas, nulla est quae hanc formam *-ent* tam stricte requirat quam hispanica. Si enim tabulas a doctissimo uiro Meyer-Lübke confectas[3] inspexeris, eius uerba aptissima esse existimabis quae haec sunt : « A la 3e pers. plur., dès l'époque préhistorique déjà, *-ent* prit la place de *-unt*[4]. »

Coniunctiuusne *-unt* pro *-ant* in quarta quam dicimus coniugatione admiserit incertum; legitur quidem: *tales... ut conueniunt*, 94, 21; quod Cholodniakus in *conueniant* mutare uelit[5]. Equidem nescio an huic loco syntaxis menda insit, ita ut *conueniunt* ut indicatiui formam libenter accipiam. Idem enim, 81, 1, occurrit cum uerbo primae coniugationis : *consuetudo talis est... ut manducant; ut... acclinant* (cod.), 88, 14, sagacissime a P. Geyerio in *acclinantes* mutatum est.

Coniugationem mutauerunt uerba quae sequuntur : *egredere* pro *egredi*, 53, 30. *Furasse*[6] pro *furatum esse*, 88, 17; sed *furata est*, 68, 31; apud scriptores aureae aetatis

1. Vide omnia exempla apud Bechtel, p. 88 sq.
2. Cf. *retenuntur* ap. Gregor. Turon, Bonnet, p. 429.
3. *Gram. des L. Rom.*, II, p. 179.
4. *Ibid.*, p. 201.

Apud J. Pirson *debunt*, *requiescent* tantum commemorantur. J. Pirson, p. 149.

Cf. easdem formas (*ent*) ap. Benedictum Nursian., teste Paulo Geyer in *Iahresbericht über Vulgär- und Spätlatein*, 1891-1897 (Sonderabdruck aus *I. ü. F. d. cl. A.*) p. 112.

5. Hae sunt eiusmodi mendae : *aspiciant* pro *aspiciunt*, Apring., p. 24; fut. *recipiant* pro *recipient* ap Valer., *P. L.*, 87, 454 C.
6. De uerbo, cf. *A. L. L.*, V, 71; 232. Actiuum et passiuum ap. Greg., Actiu., Turon. *Form. Andec.*, 5, 25; 10, 2.

deponens tantum forma occurrit[1]. Passiuum pro actiuo positum esse uidetur : *optati sumus*, 52, 16 (id est *optauimus*) ; sed eo loco doctissimus uir P. Geyer iam coniecit *ortati sumus (hortati)* esse legendum.

Fit aliquando ut uerba cum particulis aut etiam adiectiuis composita separentur : *inter nos fuerit*, 100, 28, et, quod maioris est momenti, *prode illis est*, 49, 2. Quocum conferas uelim illud ex Missali Mixto excerptum : *dico enim uobis quia potens est Deus suscitare* (= potest). Migne, *P. L.*, 85, 112.

Cf. multa exempla formae *prode est* ap. Schuchardt, *Vokal.*, II, 504 sq.

Aliquae tandem formae graui barbarie infuscatae sunt. uelut, *prandidi*, 80, 14 ; *tenderam*[2], 60, 10 ; *transiebat*, 50, 1 (ubi in codice legitur barbarior forma *transiebatur*, a Bechtelio in textum admissa, sed paginis 88 et sequentibus non commemorata).

Inter participia duo tantum subnotanda : *ostensus* (saepissime) et *uenitum* (79, 27) quod in codice, teste Bechtel, exstat : quorum posterius unum aliquam uim tenet : inter romanas enim linguas, hispanica participia in *-ido* frequentius quam ceterae linguae admisit : cf. fr.-gall. *venu*, prou. *vengut*, at hisp. *venido* (*uenitum*[3]).

1. Crebriora exempla apud recentiores scriptores : *blandiat*, Valer., *P. L.*, 87, 457 B ; *fungerem*, *ibid.*, 433 C ; *recordare*, *ibid.*, 434 C ; *mirarem*, *ibid.*, 436 A ; *machinare*, *ibid.*, 440 D ; se *proficiscere* pararet, 448 C. Quod ad quaedam ex his uerbis attinet, animaduertendum eas formas iam in antiquis linguae latinae monumentis exstitisse.

Furauerunt ap. Valer., *P. L.*, 87, 446 B. Cf. ap. Fredegarium *furauit*, 81, 28 ; *furauerat*, 81, 26.

Facitur pro *fit* legitur, 85, 25 ; ap. Fredegarium *fietur* quinquies.

In *Lib. Ord.* occurrunt : *adipiscere* (c. 147), *egredere* (c. 46), *intuere* (c. 118).

2. Quo loco forsitan *tetenderam* legendum (cod. *gratiam me tenderam*).

3. De quo uide Meyer-Lübke, *Gram. des L. Rom.*, II, § 331.

CAPVT IV

De Aduerbiis.

In usu aduerbiorum multum a recta scribendi ratione Etheria abhorruit; sed paucissima sunt quae iam quasi hispanice redoleant. In tres partes aduerbia digessimus : prima quo modo, secunda quo loco, tertia quo tempore res fiat significant. Aduerbia cum praepositionibus coniuncta et uerborum circumscriptiones pro aduerbiis adhibitas segregauimus; sed de prioribus infra agemus.

A.

Adhvc, quod temporale aduerbium esse solet, frequenter usurpatur cum sensu *etiam, etiamnunc* : cf. 42, 6; 45, 28, etc.

Amplivs pro *plus* bis (64, 28; 90, 22) non mirum; idem fit ap. Cassian., *Inst.*, IV, 3, 1 : *diebus decem uel eo amplius;* ap. Eugipp., *Vit. Seu.*, 58, 6; 20, 16; 29, 10.

Carnaliter, 67, 22, non rarum ap. ceteros ecclesiasticos scriptores : *carnalis, carnaliter* ap. Auit[1].

Enim nihil aliud significat quam gr. δέ, ut P. Geyer sub uerbo in *Ind.* adnotat : rarum apud ceteros eiusdem aetatis scriptores excepto uno Ennodio, 28, 20; 472, 21, etc.

Ergo semper usurpari, *igitur* autem deesse adnotauit P. Geyer in *Ind.*, s. u.

1. Cf. quoque Bayard, *Lat. de saint Cyprien*, p. 30, 33.

Forsitan pro *fere* positum, saepissime. Cum eodem sensu *forte* usurpatur, 66, 22; 67, 7; 68, 26; 74, 27.

Fortvitv, 49, 17, iam ap. Plaut.; et ap. Asin. Pollionem, ex coniectura Wölfflinii, *A. L. L.*, VI, 93.

Granditer, 65, 29. Cf. *A. L. L.*, I, 94. Semel ap. Hieron[1]. Greg., Turon., 360, 26.

Iterato, quinquies; frequens primis post Christum saeculis. Cf. Chabert, *Lat. Marcelli Empirici*, p. 43. Cf. quoque Rœnsch, *Semas. Beitr.*, II, p. 73[2]. Iam ap. Iustin., 43, 4; 22, 7. Paulin. Petricord., *Carm. Min.*, Prol. I. Ap. Greg. Turon. *iteratis*, *H. Fr.*, 46, 15. *Iteratim* ap. Valer., *P. L.*, 87, 451 B.

Modice = *paulum*, 88, 4; pro *paulo* ponitur ante comparatiuum. Ap. Benedictum Nursian., cf. *A. L. L.*, IX, 515. *Modico* legitur 87, 22[3]. *Modicum* ap. Valer., *P. L.*, 87, 436 B. Multa exempla collegit doctus uir G. Helmreich ex Prisciano, Apicio, aliis, excerpta, *A. L. L.*, II, 128.

Nam ut *enim* quasi debilitatum uicibus gr. δέ, lat. *autem*, fungitur.

Penitvs negationi additum : *penitus non*, 46, 2; *penitus nemo*, 92, 32, etc.; *penitus numquam*, 78, 6; *penitus nullus*, 66. Cf. *in nullo penitus*, Vit. Fructuos., *P. L.*, 87, 465 B; *Penitus non*, Valer., *P. L.*, 87, 442 A; *in nullo penitus commotus*, *ibid.*, 465 C. *Nigrior exstitit penitus coruo*, *ibid.*, 443 A.

Cuius usus, extra hispanicos scriptores, satis multa sunt exempla apud unum Eugippium, *Vit. Seu.* : *nec ullus penitus*, 4, 12; *nunquam penitus*, 9, 12; *calciamento nullo penitus utebatur*, 19, 4; *penitus non*, 36, 19; *nihil penitus*, 48, 16; *penitus prohibet*, 62, 3.

Pvblice = *palam*, 62, 31. Iam ap. Gell., Apul., Eutr., cf. Georges, *Lat. d. Handw.*, s. u. *Publice... in*

1. Saepius ap. Cyprianum; cf. Bayard, *op. laud.*, p. 33.

2. Ap. Gœlzer, *Dict. lat. fr.*, s. u.

3. Eadem confusio ap. Chironem : *modice* 69, 1; at *modicum* bibat 123, 28. *Modicum* = paulisper ap. Sulp. Seu., *Chr.*, II, 14, 8. Cf. Cassian., *Inst.*, III, 7, 2, et pass.; *ibid.*, *ad modicum*.

occultis, Valer., *P. L.*, 87, 441 B; *ibid.*, 443 D; *ibid.*, 456 A.

« Qvoqve deest » adnotat P. Geyer, *Ind.*

Satis pro *ualde*. Cum aduerbiis construitur : *satis humane,* 39, 5 ; cum adiectiuis : *satis curiosus ;* etiam cum comparatiuis et superlatiuis, cf. supra ; cum uerbis denique : « omnia singulatim scribere *satis* fuit = longum fuit, » P. Geyer, in *Ind.* editionis.

Cum hoc sensu superfuit aduerbium — praepositione *ad* quidem praefixa — in plerisque romanis linguis : fr.-gall. *assez,* prou. *assatz,* ital. *assai,* hisp. lusit. *asatz :* quae forma iam diu in hisp. lingua euanuit ; in ceteris romanis linguis uox cum priscam uim amisisset, nihil aliud quam lat. *satis* nunc significat.

Similiter vt, 92, 29 ; *similiter sicut,* 73, 4 ; ap. Cicer. *similiter ac, similiter ut si...*

Singvlariter, 96, 29 ; *singulatim,* 44, 15 ; 51, 28. Cf. *aliqui singulariter intromissi iugulantur, Chr.* Idat. ad annum 454. *Omnia singulariter innotesco.* Eugen. ep. Tolet., *P. L.*, 87, 403 A. *Singulatim,* Valer., *P. L.*, 87, 455 D. *Singillatim,* Apring., p. 26.

Siriste, 99, 14, nihil est aliud quam mera transcriptio gr. συριστί. Dum de aduerbiis dacicae linguae informatis doctissimus uir Meyer-Lübke[1] disceptat, formas in *-este* terminatas a lat. *-isce* ducit ; equidem eas libentius ad gr. -ιστι referre uelim.

Specialiter[2], 87, 10 ; 67, 24, non esse peculiare Etheriae sermoni significant multa exempla quae ex Hilario Pictauiensi (t. I, 12, 22) et multis aliis scriptoribus excerpere possis.

Totvm illud adiectiuum neutrale acceptum saepissime ueri aduerbii locum tenet. Velut 84, 6 ; 83, 30, *totum pedibus itur ; totum legitur,* 87, 16 ; cf. 87, 8. *Totum ad directum,*

1. *Gram. des L. Rom.*, II, § 619.

2. Cf. Claud. Mar. Vict., I, 410 ; frequens ap. Auit. ; quinquies ap. Ennod., quater ap. *Gromat. Vet.*

39, 12; cf. 50, 3; 50, 6, *Per biduo totum*, 50, 10; *totum mons Dei appellatur*, 38, 17. Ap. Valer. *totus* eo sensu adhibetur, *P. L.*, 87, 440 B. Ap. Antonin. Placent., 186, 14 : *eo quod totum arena sit*[1].

B.

Deorsvm = *infra*, 40, 12; 56, 11, etc. *Deosum* iam ap. Varr., *R. R.*, I, 6, § 3-4, apparere adnotat Georges, *Lat. d. W.* s. u. Cf. in *Recueil des Chartes de Silos yuso, iuso*, passim, sed hac formae multo recentiores sunt. In omnibus romanis linguis uox superest, cf. Körting, n° 2871.

Ivxta aduerbii loci uicibus fungitur, 40, 16; 68, 15, etc. Vox in romanis linguis superfuit exceptis dacica, hispanica et lusitana. Cf. Groeber, *A. L. L.*, III, 273.

Loco pro *ubi* positum saepe : ex quo hisp. adu. *luego* informatum est; sed ex eodem uocabulo in plerisque romanis linguis (antiquitus quidem) aduerbia informata sunt; cf. Meyer-Lübke, *Gram. des L. Rom.*, III, § 421; *Comment. Wölfflin.*, p. 91-95, auctore P. Geyer, *Ind. ad Siluiam*, s. u. *loco*.

Longe *esse de* = *distare*, 52, 20, etc. Eandem uerborum coniunctionem non modo in francogallicam prouincialemque linguam transiit, sed in hispanicam quoque : prisca autem forma *lueñe* euanuit; cf. Meyer-Lübke, *Gr. des L. Rom.*, I, p. 204.

Rectus (ad) : haec forma indeclinabilis esse facta uidetur : *reuertuntur rectus ad Anastase*, 82, 25[2]; cf. Septentrio... flat *rectus ab* axe, Isid. Hisp., Migne, *P. L.*, 83, 1007 A.

Apud Idatium legitur : *ad Italiam directus ascendit*[3],

1. Apud Chir. fere semper cum *in* praeposito : *in totum*. Cf. *in totum*, Apring., p. 21.

2. In *Indice uerborum* adnotauit P. Geyer hoc loco « fr. *endroit* », quod mihi obscurum satis uidetur : fr. *endroit* ex *indirecto (um)* defluxit. *Rectus* in italica tantum lingua superfuit, cf. Körting, n° 7852.

3. Ex quo exemplo intellegas quo modo uox indeclinabilis facta sit.

Chr., *P. L.*, 74, 745-46. *Derectus a* (= ad) in Charta anno 1098 scripta *(Rec. Chart. Silos)*. Apud Valer., *P. L.*, 87, 450 C : *ueni directus a* Domino.

Directum ad ab Etheria saepius usurpatur, 39, 12 ; 39, 13. De *susum* pro *sursum* supra disseruimus. Quam uocem hispanicae latinitati esse propriam asserit doctus uir Férotin et multa exempla commemorat[1]. Ea autem in omnibus romanis linguis adhuc uiuit. *Susu, susum*, fere duodecies ap. Chironem. Cf. *Gromat. Vet.*, 111, 24.

Unde significat *de quo, a quo : unde* scriptum est dixisse Pharaonem, 48, 14 ; *puteus unde portabat aquam*, 65, 17 ; *puteus unde potauit camelos*, 64, 18. Cf. *unde loquitur*, Apring., p. 2 et pass. Quocum conferre uelim antiquam hispanicam formam *ond, on ;* sic hisp. *don* ex *de unde*. In quo usu prouincialis lingua cum hispanica congruit : sic fr.-gall. *d'où* (de ubi), prou. *dount*, hisp. *de onde* (ant. *don*)[2].

C.

Antecessus pro *in antecessum* mirum quantum ponitur, 73, 14. Alterum exemplum ex Chirone excerptum in *Thes. ling. lat.*

Modo pro *nunc* ter occurrit : 57, 19 ; 65, 1 ; 67, 23. Quem usum ne forte credas hispanicae latinitati esse proprium, animauertendum hanc uocem in italicis tantum dialectis adhuc uiuere.

Postmodum : eo aduerbio abutitur Etheria ; quae in eo usu a ceteris eiusdem temporis scriptoribus longe dissentit, cum nullum fere exemplum apud plurimos adnotetur. Cf. tamen Valer., *P. L.*, 87, 441 B ; 456 D ; *Vit. Fruct.*, *P. L.*, 87, 462 C ; qui vult *modo* laetari in saeculo et *postmodum* gaudere cum Christo, Valer., *ibid.*, 442 C.

1. *Rev. des Quest. hist.*, anno XXXVIII°, p. 390, n. 1.
2. Cf. E. Gorra, *Lingua e lett. spagn.*, p. 170.

PRIDIE cum *a* construitur hoc loco : *pridie a die*, 49, 18; sed *pridie martyrium die* legitur 65, 22, quod idem esse quod *pr. martyrii diem* in *Ind.* P. Geyer agnouit et in textum admiserim (ex *martyru* (= *ii*), *martyriu*, *martyrium* facile defluxit).

SERA nouies occurrit : *nocte sera*, 84, 26 ; *sabbato sera*, 39, 4, etc. De hac uoce plane disseruit P. Geyer, *A. L. L.* VIII, 479. *Sero* rarius (ter); *serius* compar. 79, 21. *Sero* bis ap. Anton. Placent.[1]; *sera* desideratur apud eundem, quanquam libellus ab Italico scriptus est. Ital. *sera*. In hisp. lingua *tarde* uicibus huius aduerbii fungitur.

D.

DE ADVERBIALIBVS VERBORVM CIRCVMSCRIPTIONIBVS

Ad plenum, 50, 15. Cf. *A. L. L.*, II, 628 ; illudhispan icae latinitati non esse proprium significant ital. *appieno*, francogall. *à plein*. Saepissime occurrit apud Cassianum.

In sinistro... in dextro 47, 9; sed *dextrā... sinistra*, 47, 12.

In longo, 59, 14: *in breui*, quod in hispanica lingua superest *(en breue*[2]*)* occurrit apud Idatium, *Chr.* ad annum 435 (Ap. Chironem *in longum, in longo, per longum*, 70, 19; 32, 12; *in lungum et in curtum*, 31, 30).

In medio; in medio illorum, 38, 19 (*in media planitie, in medio loco*, 56, 8-9, etc., non ad hunc locum attinent). Cf. francogall. *emmi*, prou. *en miei*, ital. *in mezzo*, ap. Meyer-Lübke, *Gram. des L. Rom.*, III, § 435; in hisp. lingua deest. *In medio ecclesiarum*, Apring., p. 15.

In proximo, 69, 13.

1. Cf. Bellanger, *l. s.*, p. 69.
2. Teste Gorra, *Lingua e lett. spagn.*, p. 171.

Per medium, 38, 13; hisp. *por medio*, sed et in ital., francogall., prou. lingua; cf. Meyer-Lübke, *Gram. des L. Rom.*, III, § 443, in fine[1].

1. Cf. quoque : *locis et locis*, 46, 5; ablatiuum *uicibus* pro aduerbis positum, 74, 12, etc., quod in fere omnibus romanis linguis permansit. — Adde : *in celeri*, Idat. *Chr.* ad annum 463; *ibid.*, ad annum 467; *e contrario*, Apring., p. 21; Fructuos., *P. L.*, 87, 1106 C.

CAPVT V

De Nominibus et Verbis informatis.

A. De Nominibvs.

In primis tractanda sunt quae cum particulis deminutiuis, quae dicuntur, sunt informata; ea enim primum obtinere locum in romanis linguis explicandis satis constat[1].

Olvm, ola. Raro occurrit : *pomariolum* (plur. neut.), 40, 16[2]. Vox deest in Lexicis latinis. De *terrola*, 40, 14, pro *terrula* supra (p. 5) actum est.

Ellvs. — *Asellus*, 53, 11 ; deest in romanis linguis.

Domuncella, 87, 22; *domuncula* ap. Vitruu., Valer. Max. Deest in Lexicis latinis.

Frustella (plur. neutr.), 57, 11 ; *frustillum* ap. Arnob. ; cf. Georges, *Lat. d. W.* ; particulae adfixae, ut saepe fit, confusae sunt.

Vlvs, cvlvs. — *Arbuscula*, 40, 15; cf. *arbuscella* ap. Valer., *Rev. Quest. hist.*, anno XXXIII°, p. 373. Formae quae in romanis linguis exstant ex *arboriscellus*, *arbuscellus* defluunt ; cf. Körting, *Lat. rom. W.*, sub his uerbis.

1. Qua dilectione illiusmodi uerbis quidam hispanicus scriptor usus sit hic locus significat : « In nobis autem etsi fuit aliquantula scientiolae modiculae uenula. » Eugen. episc. Tolet., *P. L.*, 87, 403 C.

2. Vox in hodierna prouinciali lingua exstat hac forma *poumairol;* cf. *Poumairol,* nom. propr. in prou. lingua.

Colliculus, 56, 17; iam ap. Martial.

Coperculum, 59, 24; ex quo hisp. *cobijo* non plane defluere uidetur; cf. Körting, s. u.

Fonticulum[1], 63, 14 (ex correctione docti uiri Cholodniak, cod. *monticulum*). (*Fonteclos*, in *Itiner. Burdig.*, 32, 19.)

Loculus, 88, 8. Haec forma in hodierna italica lingua, et quidem in Mutinensi dialecto, permansit. Prisca hispanica forma *locilo* (hod. *lucillo*) (sepulchrum) ex uoce *locellus* defluxit. *Locellus* ap. Antoninum Placentinum bis occurrit (174, 18; 188, 14)[2].

Monticulus, 56, 9. *Monticellus*, quod in plerisque romanis linguis adhuc exstat, in *Peregrinatione* desideratur. (Adamnanus (VIIe s.) utraque forma utitur). Hisp. *montecillo* : de quo conferas uelim, Meyer-Lübke, *Gram. des L. R.*, II, § 502.

Surculus, 49, 1; in duobus tantum romanis linguis exstare uidetur (ital. lusitan.); cf. Körting, s. u.

Ex superioribus exemplis id animaduertas uelim, uoces in *-ellus* terminatas, quae frequentius in romanis linguis apparent, raras satis esse : uelut *monticulus*, non *monticellus* et quoque *anulus*[3], 88, 24, non *anellus* (hisp. *anillo*), *uitulus*, 37, 25, non *uitellus*[4]. Ita ut, quod ad hoc genus uerborum informandum spectat, lingua qua Etheria utitur latinam potius formam quam romanam, ne hispanicam dixerim, praebeat.

Idem concludas, si ad paucissima uerba spectes quae in

1. Correctio quidem non omnino probabilis; hic est locus : « monticulum istum, quem uides..., ciuitati aquam ministrabat. »

2. Quod ad francogallicam linguam attinet duae sunt uoces eadem forma sed sensu uario : *luisel*, *luiseau*, quorum una a *locellus*, altera autem a **globuscellum* esse deriuata uidetur; cf. Thomas, *Ess. phil. fr.*, et Delboulle, *Romania*, 1902, p. 107-108. Quod ad ital. mutin. *logher (loculus)* spectat (Körting., *Lat. Rom. W.*, s. u.) incertum satis esse uidetur.

3. Cf. *anulus aureus*, *C. I. L.*, II, 2326, at *annuclus* (?), *C. I. L.*, II, 2125.

4. « Or, les mots en *-ulus*, partie encore à l'époque latine, partie aussi, probablement, au début de la période romane seulement, ont souvent directement échangé leur suffixe contre *-ellus* ». (Meyer-Lübke, *Gram. des L. Rom.*, II, § 500.)

mentum terminantur. Quae, quanquam in hispanica lingua frequentius fortasse quam in ceteris romanis linguis apparent, in *Peregrinatione* satis raro usurpantur[1].

Inter uoces quae in *-arium* (uel *are*) terminantur, adiectiuis non exclusis, paucissimae sunt quae alicuius momenti esse uideantur.

Altarium (quinquies); *altare* deest. « Parmi les mots latins, *altare* s'est naturellement maintenu partout[2]. » Sed in hispanica et lusitana lingua ex *altarium* deriuantur, *otero, oteiro*[3]; ex *altare altar*. Sic apud Valerium utramque formam inuenias : *altare*, *P. L.*, 87, 455, D; *altarium* 456 A; 456 B; 462 B (*Vita Fructuosi*). Adde Eugen. episc. Toletan., *P. L.*, 87, 403 A; Fructuos., *P. L.*, 87, 1101 C. Apud gallicos scriptores : Auit., 171, 21; 146, 6: Cassian., *Contr. Nest.*, VI, 10, 20. Frequens in *Formulis merouingicis*, cf. Zeumerii *Indices*, p. 738.

Consuetudinarius, 96, 14; 93, 24, etc. Cf. P. Geyer, *A. L. L.*, IV, 612[4]. Frequens apud gallicos quoque scriptores: Cassian., *Inst.*, III, 12; *Conlat.*, 19, 6, 4. Ap. Sulp. Seu., Auit., Saluian., etc.

Hebdomadarius, 80, 10. Cf. Petschenig, *Romanisches bei Cassian*, *A. L. L.*, V, 138. *Septimanarius* ap. Idat., *P. L.*, 74, 505.

Luminare, 73, 13 (in plur. *luminaria*), hisp. lusitan. *luminar;* ex plurali, in prisca quidem hispanica lingua *lumnera*[5] (*Luminare*, ter ap. Cassian.)

De uoce *thymiataria* pro *thymiateria* supra actum est[6].

Voces cum particula *-anus* informatae. *Biduanus*, 81, 4:

1. Exceptis usitatissimis uocibus, uelut *calceamentum*, *fundamentum*, *aeramentum*, 57, 11.

2. Meyer-Lübke, *Gram. des L. Rom.*, II, § 464.

3. Körting, *Lat. Rom. W.*[2], s. u. *Altare* multo frequentius quam *altarium* in *Lib. Ord.;* cf. col. 753.

4. Fr.-gall. *coutumier* ex ea uoce manare, nemo est qui cum docto uiro admittere uelit.

5. Körting, s. u. *luminare*.

6. Cap. I, *Graecae uocales*.

duobus exemplis a doctissimo uiro Georges commemoratis[1], haec addas uelim : *biduanam uel triduanam*, Chir., 208, 1 ; *biduanis siue triduanis maceretur inediis*, Fructuos., *P. L.*, 87, 1106 C. Vox uidetur ecclesiasticae, quam dicimus, linguae esse, uelut *triduanus*, quod in *Peregrinatione* saepius, et apud alios eiusdem aetatis saepissime occurrit[2].

Medianus, 40, 13; 39, 15, etc. In plerisque romanis linguis uoces a duabus formis *medius*, *medianus* deriuatae adsunt. De quo uide Grœber, *A. L. L.*, I, 53; id., *ibid.*, IV, 43; 267.

Quintana (pars), 95, 10. Vox exstat nunc, alio quidem sensu, in plerisque romanis linguis, hispanica et lusitana exceptis.

Septimana, 82, 27, 28, etc. Duae uoces, ex *hebdomada*, *septimana* deriuatae in hodierna hispanica lingua exstant.

Subdiuanus (locus), 89, 4. Nullum aliud exemplum mihi multos scriptores euoluenti occurrit : in communi latina lingua *subdialis, subdiualis*.

Voces in *-inus* terminatae. Haec una digna est quae commemoretur ; *petrinus*, 40, 12. Vox raro occurrit apud alios eiusdem temporis scriptores : Hier., *Adu. Iouin.*, I, 21 ; Le Blant, 334 C[3]; Ant. Placent., 188, 3. Cf. *A. L. L.*, I, 309. Apud hispanicos scriptores *petrensis*, uel *saxeus* inueni : *saxeus locus,* Valer., *P. L.*, 87, 440 A; *ibid.*, 452 B; *petrense castrum, ibid.*, 441 B; 439 D. Vox deest in hodierna hispanica lingua, sed in asturica dialecto superfuit[4] : in qua uoces cum particula *-inus* adfixa informatae

1. *Lat. d. W.*[7], s. u.

2. Hier., *Ep.*, 54, 10 ; Marcell. Empir., p. 169, 25. *Triduanum ieiunium*, Eugipp., *Vit. Seu.*, 27, 22 ; 43, 6, etc. *Quadriduanus* in *Lib. Ord.*, col. 373.

3. Ap. J. Pirson, *op. laud.*, p. 248. *Petrīnus* non *petrĭnus* legendum, particulis *īnus, ĭnus* confusis.

4. Ake W:son Munthe, *Anteckningar om Folkmålet af vestra Asturien*, § 12, 34 a.

permultae[1] sunt. Ne tamen hoc loco quasi indicium asturicae latinitatis agnoscere uelis, commemorandum uocem e *petrinus*[2] deriuatam in antiquissima quoque francogallica lingua exstitisse : *perrin* in *Voyage de Charlemagne*, éd. Koschwitz, v. 631, 644, 684: ap. Elie de Saint-Gilles, éd. Foerster, v. 11.

Orivs. — *Responsorius* (locus), 80, 3. De quo consule Gœlzer, *Lat. de saint Jerôme*, p. 97; P. Geyer, *A. L. L.*, IX, 299. Vox ecclesiasticae latinitatis; cf. Greg. Turon., 694, 15. « Quod inde responsorios cantus uocant quod, alio desinente, id alter respondeat. » Isid. Hisp., *Etym.*, VI, 19, 8. *Responsorium* (neutr.) ap. Fructuos., *P. L.*, 87, 1100 D.

Duo composita cum *sub* in *Peregrinatione* tantum occurrunt: *subdiuanus*, 89, 4; *sublinteatus*, 88, 7. De superlatiuis cum *per* informatis, cf. supra, p. 32.

B. De Verbis.

De uerbis paucioribus scribam. Nam illud ab omnibus qui *Peregrinationem* perlegerunt iam animaduersum est composita uerba et non rara esse et cum praepositione *per* pleraque esse informata. Qui usus cum usu scriptorum eiusdem aetatis apte congruit et eum in romanis linguis informandis haud parui fuisse momenti constat.

Itaque satis sit commemorare uerba cum praepositione *per* composita uim quae ab hac praepositione quasi mutuari solebant amisisse et ea pro simplicibus esse posita. Sic *perambulare*[3], 70, 25, etc.; *perdescensus*, 42, 16;

1. Munthe, *ibid.*, § 34 a; cf. id., in *Zeitschrift für rom. Phil.*, XXIII, p. 323 : « das äusserst allgemeine Diminutivsuffix *-in*, *-ina.* »
2. Deest ap. Körting².
3. Frequens ap. Anton. Placent. teste Bellanger, *op. laud.*, 58, n. 1.

perexire, 42, 7, etc.; *pergiro*, 63, 7; *perintrare*, 62, 19; *persubire*, 39, 27 (deest in *Lexicis latinis*); *peruidere*, 46, 23, etc. Doctissimus uir Wölfflin uerbum cum quattuor particulis praefixis compositum, *perdiscoperire*, 59, 24, in medium uocauit et id iocose cum quadriga contulit[1].

Per in compositione uerborum, quod ad romanas linguas spectat, parum frequens esse adnotat Meyer-Lübke; in hispanica autem lingua equidem aliquanto frequentius admiserim.

De particulis affixis pauca quoque : de *baptidiare* iam supra actum est; *exorcizare*, 97, 13, non rarum apud ceteros ecclesiasticos scriptores.

Fumigare, 39, 23, in plerisque romanis linguis superest. Cf. Körling, s. u. Meyer-Lübke, *Gram. des L. Rom.*, II, § 577 ; ubi doctus uir ital. *fumicare* ad lat. *fumicare* (Körting falso *fumigare*) esse referendum animaduertit.

Illucescere, 81, 26; *albescente*[2], 96, 11; in his tantum uerbis occurrit terminatio *-escere*, quae, si ex hodiernis linguis concludere licet, hispanicae latinitati proprium fuisse uidetur[3].

Latrunculari, 70, 4, apud unam Etheriam occurrere iam a Wölfflinio animaduersum est (*A. L. L.*, IV, 267).

1. *A. L. L.*, IV, p. 267.

2. Vox in sardiniensibus et dacicis dialectis adest, cf. Körting, *Lat. Rom. W.*, s. u.

3. « Le hispano-portugais (ainsi que l'italien du Sud) a créé pour presque tous les verbes en *-ir* une forme secondaire en *-ecer*. » Meyer-Lübke, *Gram. des L. Rom.*, II, § 593.

PARS SECVNDA

SYNTACTICA

CAPVT PRIMVM

Syntaxis casuum.

De accusatiui usu. — Librum illum notissimum, quem Diez de Grammatica linguarum romanarum scripsit attentiore manu uersantibus illa notula[1] occurrit, in qua doctissimus ille uir rem notatione dignam in lucem protulit : « On a observé que le plus ancien latin du Moyen-Age trahit une prédilection pour la forme de ce cas [i. e. acc.] dans les noms de ville : c'est ainsi qu'il écrit volontiers *Neapolim* pour *Neapolis* (Bethmann dans l'*Archiv* de Pertz, VII, 281). A cet exemple répondent dans d'anciens textes romans : *Eufraten, Pentecosten,* et même *Barraban, Moisen* ou *Moisens, Luciferum,* usuels comme nominatifs. » Et Wölfflinium[2] non fugit nominibus quibusdam, seu propriis, seu, rarius uero, communibus, in nominatiuo casu usurpatis in *Peregrinatione,* accusatiui terminationem esse adfixam. Ex omnibus enim casibus (ex iis quidem qui obliqui dicuntur) cum sit accusatiuus longe usitatissimus[3]

1. Diez, *Grammaire des Langues romanes,* II, 7.
2. *A. L. L.,* IV, 276.
3. Praecipue in nominibus locum indicantibus ; de quo consule Bonnet. *op. laud.*, p. 570.

(praecipue ex quo *m* obmutescente cum ablatiuo datiuoue saepius confusus est) nil mirum eum in uicem nominatiui frequentissime esse positum et eiusmodi uerba quasi indeclinabilia facta esse.

Haec exempla satis sit excerpere ex iis quae Wölfflinius in unum congessit [1] : *quae appellatur Pompeiopolin*, 69,15; *quae appellatur Mansocrenas*, 70, 15; *quae appellatur Martyrio* (i. e. *Martyrium*, nominatiuus - accusatiuus), 78, 19.

Quas formas quasi μονοπτώτους factas etiam cum aliis casibus coniunctas inuenias : *flumine Eufraten*, 61, 15; *Siriae Celen*, 61, 1 ; cum praepositione *de*: *proficiscens de Ierapolim*, 61, 7. *Faran* indeclinabile esse iam adnotauimus : ne mireris ergo hanc uerborum coniunctionem reperiri : *uenientes a Faran*, 38, 13. *Tathnis* semper eadem forma occurrit, siue ea pro ablatiuo ab Etheria posita est, siue ea ut recta forma accipienda est.

Quod ad communia nomina spectat, idem accidit, sed multo rarius : *fit cathecisin*, 98, 3; saepius *Martyrium* indeclinabile usurpatur : *in Martyrium*, 90, 20; *de Martyrium*, 90, 5: sed illud pro nomine proprio habendum est. Quibus locis nihil aliud significari uidetur praeter id, nostram linguae graecae parum esse gnaram : quod iam doctus uir P. Geyer expressit [2].

Aliis ex causis fit aliquando ut nonnullae uoces non declinari uideantur, uelut cum de titulo libelli cuiusdam agitur : *de actus apostolorum*, 94, 22, etc. Item post uerborum coniunctionem *quod dicimus*, *quod dixi* : *quod nos dicimus arbor ueritatis*, 49, 5; *quod appellant eortae, id est quadragesimae*, 78, 11 ; *quod nos dicimus uicus*, 48, 6; *quod dicitis latine hortus*, 58, 2. Hoc rarius : *quam dixi ingens*, 37, 15.

Accusatiui pro nominatiuo positi, quo in usu doctus uir Mohl [3] certum hispanicae latinitatis signum agnoscere uelit,

1. *Loco significato.*
2. *Itin. Hieros.*, Praefat., p. XIV.
3. Mohl, *Chron. du lat. vulg.*, p. 175, 205.

nulla, exceptis nonnullis nominibus propriis[1] (et gr. *cathecisin*), in *Peregrinatione* exstant exempla.

De usu genetiui. — Genetiui *determinatiui* species quaedam his exemplis obseruatur: *id erat consuetudinis*, 52, 3; *quae consuetudinis nobis erant*, quorum posterius iam Max Bonnet in lucem protulit[2].

Appositionem eodem casu esse ponendam quo nomen cui adiungitur docent grammatici: quam legem ab Etheria aliquando non obseruatam esse ex his exemplis constat: *arbor sicomori*[3], 48, 28; 48, 27; 49, 11[4]. Sed hunc usum apud eos qui aurea aetate scripserunt iam extitisse adnotauit Max Bonnet cum illud Horatianum *lapathi herba*, postquam illud Gregorianum *arbores lauri*[5] rettulit, commemoraret[6].

Genetiuum iterum miro quodam modo usurpatum hoc loco inuenias: *aliquanta ipsius sancti Thomae ibi legimus*, 61, 27, id est: aliquot locos e libello de Sancto Thoma excerptos. Hunc uero uerborum ambitum: *necesse est una sabbati ieiunari*, 78, 9, quo uocabulum *sabbati* in genetiuo positum pronomen *una* quasi explicat cum Cholodniako, uoce *die* addita, libenter correxerim.

Post *milia* apponitur nomen non in genetiuo sed eodem casu: *quattuor milia passus*, 48, 18; *milia passos*, 37, 18: quibus in mendis efficiendis constructio cum *mille* usurpata multum ualuit.

Nullus cum genetiuo semel coniunctum[7] est: *nullus hominum*, 53, 21.

1. De quibus uide supra. Add. attractionis exemplum infra, p. 59. Sex exempla in *Lib. Ord.*, c. 561.

2. Bonnet, *op. laud.*, 553, 4. Cf. Marcell. Empiric., 46, 5: *sicut est consuetudinis.*

3. Quocum conferas uelim *scriptura canonis*, 67, 5, ubi *canon* idem ac *scriptura sacra* significat.

4. Cf. durissimus annus... *hiberni, ueris, aestatis, autumni*, Idat., *Chr.* ad annum 469: *stella cometes*, id., *ibid.*, ad annum 451. Cf. Anton. Placent. ap. Bellanger, p. 125.

5. *Conf.* 23, p. 763.

6. Bonnet, *op. laud.*, p. 550.

7. Quod ad praepositionem *de* pro genetiuo positam spectat, consule quae scripsimus infra, Part. II, cap. II, *De praepositionibus.*

De *datiuo* pauca: datiuus qui dicitur *ethicus*, hoc tantum loco: *sedete nobis*, 87, 22. Est denique ut datiuus cum uerbis *mouendi* locum accusatiui cum praepositione obtineat: *ecclesiae deputari*, 39, 29; *plicare ciuitati*, 63, 5. Sed *plicare ad* bis: 46, 11: 38, 14.

Varia de casibus. — De casibus absolute positis: nominatiui absoluti aliqua tantum exempla occurrunt: *ingressi in ecclesia dicuntur ymni*, 85, 12; *tenens... rex... tenebrae factae sunt*, 63, 2. Cf. 60, 3; 65, 15; 72, 3; 95, 3. Cf. Bonnet, p. 566, n.

Accusatiuus absolutus bis eodem loco legitur; *uisa loca omnia... nec non etiam omnia loca... uisis etiam et sanctis uiris... regressi sumus*, 45, 8-12. Quem locum dum doctissimus uir Férotin commemorat haec addidit[1]: « L'usage de l'accusatif absolu est très fréquent dans les vieux textes latins d'Espagne, » et re uera satis multos locos, ex uariis hispanis scriptoribus excerptos, protulit. Sed primum omnium animaduertas uelim *loca* haud minus nominatiui quam accusatiui absoluti praebere speciem; deinde multa exempla huius constructionis quae Max Bonnet et Haag, ne plures commemorem, ex Gregorio Turonensi uel e Fredegario excerpserunt[2] hunc usum hispanicae latinitati nullatenus esse proprium satis significant.

Ablatiuum absolutum raro male usurpatum reperias: *euntibus nobis commonuit episcopus*, 52, 9-10; *exeunte episcopo omnes ad manum accedunt*, 71, 26-27; quo loco leuiorem esse mendam admiserim[3].

1. *Rev. des Quest. hist.*, LXXIV, p. 390, n. 2, 3.

2. Bonnet, *op. laud.*, p. 561; Haag, *op. laud.*, p. 69 (§ 100).

3. Multo grauiores mendae, quod ad usum casuum absolute usurpatorum spectat, in inscriptionibus uel apud scriptores eiusdem temporis occurrunt. Cf. *Regnante serenissimo Veremandu rex* (anno 485), ap. Carnoy, p. 191. *Missis caeduntur auxiliis* (id est *missa caeduntur auxilia*), Idat. *Chr.* ad annum 451; *deducens me... peruenimus*, Valer., *P. L.*, 87, 432 B, frequens ap. Valerium.

Recta constructio ablatiui absoluti nonagies sexies, teste docto uiro Bechtel (*op. laud.*, p. 110, IX), occurrit.

Attractionis exempla duo tantum : *fabricam quam uides*, 56, 18 ; *monticulum* (uel *fonticulum*) *quem uides*, 63, 14.

Illam quoque grammaticae figuram quam Graeci ἀνακόλουθον dixerunt et ea apud Etheriam potius menda quam figura habenda est saepius inuenias [1] ; nec mirum illud, si animaduertas sermonem quam potissimum esse solutum et maxime cotidianum sermonem reddere : *quotquot sunt infantes... illos parentes sui tenent*, 84, 3 ; *nam ecclesia... et ibi Martyrium positum est*, 65, 22 ; *sanctus Moyses... locutus est ei Deus*, 38, 1-2. Item duo nominatiui leguntur hoc loco : *eo quod Farao... tunc ille*, 49, 13.

Sed illa leuia, haec quodam modo grauiora. Fit enim aliquando ut genetiui uicibus ablatiuus, uel potius accusatiuus cum eo casu confusus, fungatur : exempli gratia *in giro colliculo isto*, 57, 8 [2]. Quocum loco conferas uelim illum : *ad manum episcopo acceditur*, 73, 4, ubi *episcopo* non datiuum sed accusatiuum-ablatiuum reddere existimo. Posterius autem exemplum cum quadam [3] uerborum structura, qua francogallica prouincialisque lingua ab incunabulis usae sunt, et ea hispanis dialectis aliena fuisse uidetur, aptissime congruit. Haec tamen exempla rariora sunt quam ut ex iis aliquid certi concludere liceat.

Mirum quantum, in casibus usurpatis, barbaris illis casuum permixtionibus abstinuit Etheria, quibus apud recentiores latinos scriptores crebro lector offenditur et eius aliqua tantum exempla commemorare satis esse mihi uidetur : *per antra et diuersis terrae cauernis permanentes*,

Duos casus confusos inuenias : *factis orationibus et cetera*, 61, 26 ; cf. 70, 6-7 : sed iam *et cetera* quasi indeclinabilem formulam haberi ueri simile. Duo alia exempla a docto uiro allata (p. 110, IX), parum probabilia.

1. Vide omnia exempla ap. Bechtel, p. 153.

2. Cf. 40, 29 ; 88, 7. *In giro* uelut praepositio simplex adstruitur : at *per girum ipsius colliculi*, 56, 11.

3. « Le cas oblique est usité [in francogallica prouincialique lingua] dans le sens du *génitif* latin, mais seulement quand le déterminatif est un nom de personne ou un nom de chose appliqué à une personne. » (Meyer-Lübke, *Gram. des L. Rom.*, III, § 37.)

Valer., *P. L.*, 87, 427 C. *in ignem et tormentis uenire*, Valer., *ibid.*, 436 C. *Decanta laudem et hymni*, Apring., p. 15. Magis etiam mira casuum confusio his locis ex *Missali Mixto* excerptis occurrit : *quia multam spem fortitudinem dedisti me, P. L.*, 85, C. 113.

De multis confusis casibus in *Lib. Ord.* uide exempla quae doctus uir Férotin, col. 560-561 collegit.

Quod ad *numerorum* usum spectat, nihil notatione dignum est, praeter id : *unusquisque* uulgo cum plurali coniungitur : *uadent se unusquisque*, 76, 5 ; *reuertuntur unusquisque*, 93, 14 ; *unusquisque animosi uadent*, 88, 2.

QVOMODO VERBA *EVNDI* CONSTRVANTVR.

In nominibus communibus cum uerbis *eundi* constructis accusatiuo praepositione adiuncta aliquando utitur Etheria : in quo artis grammaticae seuerae leges observantur. Duo triaue huius modi exempla reperias : ingredi *in ciuitatem*, 63, 13 ; ascenderet *in montem* Dei, 43, 47.

Plerumque autem, his legibus omissis, ablatiuus casus accusatiui loco occurrit.

Quae confusio cum iam saepissime adnotata sit et eius usus fere innumerabilia exempla exstent, aliqua tantum referre liceat : *in ipso loco* deputati sunt, 77, 11 ; *in eo loco* uenitur, 37, 9 ; cf. P. Geyer, *Ind.*, p. 403.

In hanc mendam maxime post uerbum *ascendendi* cecidit Etheria : ascendit *in caelis*, 91, 30 ; 83, 21 ; 86, 14 ; 60, 16.

Versa uice accusatiuus ablatiui locum tenet his locis : in *summitatem* ipsius est ecclesia, 56, 18 : commorabantur *in montem*, 43, 18, etc.

Cum propriis urbium nominibus aliquoties[1] omittitur

1. *Nouem* exempla commemorat P. Geyer (*Ind. ad Silu.*), *duodecim* Bechtel, p. 98. Quod discrimen eo explicatur quod Bechtel plerumque textum codicis manuscripti ad uerbum secutus est : uelut 61, 32, ubi Geyer *in eadem ciuitate* admittit, dum Bechtel (24, 19) cum codice *in eadem ciuitatem* seruat.

praepositio *in*, *ad*, secundum rectam grammaticam artem. Velut : *reuertebar Constantinopolim*, 60, 26 ; perueni *Edessam*[1]. Fit idem cum uerbo *esse* cui motus notio adiuncta est : *Magdalum fuimus*, 47, 16 ; *Alexandriam... fueram*, 50, 14.

Ter quaterue reperiuntur nomina urbium in ablatiuo posita[2] : *perueni Pelusio*, 50, 19 ; *Antiochia cum fuissem regressa*, 69, 5 ; peruenimus *Tathnis*, in ea ciuitate, 50, 11. Id uocabulum, quanquam in indeclinabilia transiit, ut ablatiuum Etheriam habuisse haud difficile crediderim.

Plerumque autem urbium nomina cum *ad* aut *in* (multo frequentius adiuncto usurpata reperias.

In cum accusatiuo : *in* Ierusolimam uenissem, 60, 7 ; uade *in* Charram, 65, 5 ; (*in* Faran, 45, 12 ; Theodosius *Fara* ciuitate, *Itin. Hieros.*, 148, 7.) etc[3].

Cum regionum nominibus : *ad* Egyptum fueram, 49, 23 ; *ad* Thebaidam fueram, 49, 22 ; Alexandriam et *ad* Thebaidam fueram, 50, 14.

Ad cum accusatiuo uel ablatiuo (cum aliis nominibus propriis) : *itur ad Anastasim*, 78, 27 ; *ad Anastase*, 78, 20 ; 84, 6.

In cum ablatiuo : *in* Charra, 65, 6 ; *in* Pelusio, 50, 2 ; peruenitur *in* Ierusolima, 75, 29 ; *in* Ierusolima tendat, 100, 21 ; reuersi sumus *in* Clesma (indecl.?), 46, 19 ; *in* Ierusolimis, 60, 22 ; 65, 6, etc[4].

Cum indeclinabilibus nominibus : *in* Syon proceditur, 75, 23, etc.

Si omnia exempla quibus *ad*, *in* cum nominibus propriis iunguntur inspexeris, tibi concludere licebit non omnino ad nostram pertinere quae Paulus Geyer de usu harum praepositionum scripsit in *A. L. L.*, IV, p. 331 ; qui cum docti uiri Bourciez libellum commentaretur uerba

1. Cf. E. Wölfflin, in *A. L. L.*, IV, p. 272.
2. Cf. quae Bonnet de eiusmodi constructionibus apud Gregorium scripsit, *op. laud.*, p. 572, 573.
3. Omnia exempla ap. P. Geyer in *Indic. ad Siluiam*, uel ap. Bechtel, p. 96, 97, 98,
4. Cf. in Anastase ingreditur, 76, 2 ; in Lazario cum uentum fuerit, 82, 12.

quibus Diez usus erat hoc modo commemorauit : « Der Spanier Idacius gebraucht 21 mal *ad* vor Ländernamen, *in* nur 3 mal. Mit Idacius geht nur der Südwesten Frankreichs (Prosper Aquit. mit 15 *ad*, 5 *in*), wie schon Diez, *Grammatik*[5], 877 ff. richtig bemerkt hatte. » Ab hoc usu nostram abhorrere superiora exempla indicant.

Cum fuerit tanta confusio in usu praepositionum post uerba mouendi, nil mirum et aduerbia *ibi*, *ubi* pro *eo*, *quo* saepissime posita fuisse. Sic : *ibi* ueniremus, 65, 34 : *ibi* perueni, 39, 2 ; *ibi*... cum uenissem, 70, 6 ; *ibi*... cum uenerit, 82, 7, etc.

Ubi : *ubi* cum uentum fuerit, 84, 10 ; *ubi* descendit, 38, 18 ; *ubi* cum peruentum fuerit, 72, 30 ; 76, 1 ; *ubi* cum peruenissem, 69, 18 : *ubi*... ascenderat, 69, 28 ; cf. 56, 26, etc.

Ubicumque uenissemus, 41, 24.

E quibus obseruatis paucis concludendum : primum librarium fortasse multas ex iis quas subnotauimus mendas admisisse ; deinde ablatiuum accusatiuumque casus promiscue, nulla certa ratione adhibita, esse positos ; duas denique notiones *mouendi* et *standi* turpiter esse confusas ; qui usus quam fuerit communis iis qui tunc latine loquebantur — de iis qui scribebant silemus — cum linguae romanae satis indicent, ad alia transire liceat[1].

1. De reliquis quae nuncupantur quaestionibus (*unde*, *ex quo tempore*, *quandiu*, etc.), in capite quod subsequitur, sub praepositionibus *a*, *ad*, *de*, *in*, *per*, acturi sumus. Quod ad quaestionem *quandiu* attinet ablatiuum uel accusatiuum cum *per* promiscue usurpatos inuenias ; cf. Bechtel, *op. laud.*, p. 108-109.

CAPVT II

I. De Praepositionibus.

A. — 1. Cum verbis *descendendi* et *redeundi : descendentes a* monte Dei, 38, 8 (vulgo : *ex; ab* alto coelo..., Verg.; *ab* Alpibus..., Liu. ap. Georges, *op. laud.*); descendere *ab* ipsa summitate, 41, 11; reuertentes *a* monte, 46, 12; habens... iter *ab* Ierusolima, 56, 1.

2. *A* cum uerbis *distandi :* sunt *a* monte Dei milia, 45, 23; *a* terra Iesse miliario... decimo est, 48, 10; *a* Clesma usque ad, 47, 2; quod est *ab* Ierusolima... ad mille passus, 77, 5; cf. 82, 4.

3. *A* indicat aliquando *ex quo tempore* res euenerit : *ab* ea hora, 79, 27; *a* pullo primo, 85, 8; *a* pascha... usque ad octauas, 99, 2 (uulgo in *Peregrinatione de* usurpatur).

Ad[1]. — 1. *Ad* significat : *ante*, *prope*, *apud*. Exempla : in horto *ad* rubum, 42, 27 (in horto *ante* rubum, 42, 29); *ad* ipsum fontem, 58, 4; fui *ad* episcopum, 69, 18; uigiliae fiunt quem ad modum *ad* nos, 90, 21; 91, 10 (eadem pagina *aput* nos, 91, 1[2].

1. De hac praepositione sollertissime disseruit E. Bourciez. Cf. supra, *Ind. Libr.*

2. Cf. Haag, *op. cit.*, § 103; Bonnet, *op. laud.*, p. 582 : « Souvent *ad sepulchrum eius, ad tumulum sancti,* etc., est employé comme autrefois *ad aedem Castoris.* » (Bonnet, *op. laud.*, p. 582.) Cf. Ant. Placent. ap. Bellanger, p. 85.

2. *Ad* indicat quantum locus ab altero distet : *ad* mille passus de ciuitate, 66, 22 ; cf. 67, 7; 68, 26[1], etc.

3. *Ad* indicat *quo tempore* res aliqua euenerit. Exempla : *ad* quam diem[2], 65, 26 : *ad* diem, 66, 10 ; *ad* tertia, *ad* sexta, 85, 21 : cf. etiam, 84, 15 ; *ad* nonam, 79, 9; 90, 19. Cf. omnia exempla in unum congesta apud P. Geyerium, in indice uerborum, p. 392b. *Ad* lucernare, 75, 11 ; 78, 30 ; 93, 3 ; 96, 15. *Ad* momentum, 91, 5. Multa exempla apud Gregorium Turonensem occurrere notauit M. Bonnet (*op. laud.*, p. 583).

Ad die = cotidie (*ad diem*), 98, 10. Cuius usus apud Bourciez nullum exemplum inueni. At cf. *Thes. ling. lat.*, 1, 556.

4. *Ad* cum *uerbis dicendi* raro occurrit : *ait ad* me 64, 8 ; dixit *ad* Ioseph, 48, 15. At contra satis frequens apud Gregorium Turonensem (Bonnet, p. 583) et Fredegarium (Haag, § 104). Cf. Gœlzer, *Lat. de saint Jérôme*, p. 329. Cf. quoque multa exempla ex uariis scriptoribus excerpta apud Bourciez, *op laud.*, p. 40-41. Valer., *P. L.*, 87, 432, B : *ait ad me ; ibid.*, 432 C : *dixit ad me; dicere ad*, 448 C.

5. Cum uerbo passiuo *commoueri :* commoueri *ad* ea, 99, 12.

6. De *ad* cum *uerbis mouendi.* Cf. supra, p. 61. Cf. exempla e merouingicis scriptoribus ducta apud Bourciez, *op. laud.*, p. 26[3].

De formula *ad plenum* uide supra (*De Aduerbiis*) et Bourciez, p. 89-90.

Apud. — Idem quod *in* significat ter : 60, 15; 60, 19; 69, 28. Multa exempla apud unum Idatium inueni : cf. *apud* Viennam, Mediolanum (id est *Viennae, Mediolani*), *Descr. Cons.*, *P. L.*, 51, 912. *Apud* Constantinopolim, *Chr.*

1. Idemne hoc loco ex Idatio excerpto? a milliario (ad milliarium?) XII de Hadrianopoli (*Descr. cons.*. Migne. *P. L.*, 51, 911); in milliario III de (*ibid.*, 912).

2. Cf. fr.-gall. *a cels dis*, Eulalie, 12. Cf. Bourciez, *op laud.*, p. 86.

3. *Ad ciuitatem* pro in *ciuitate*, 87, 5.

ad annum 381 ; *apud* Treuerim occiduntur, *Chr.* ad annum 386; *apud* Viennam occiditur, *Chr.* ad annum 392 ; *apud* Mediolanum defunctus est, *Chr.* ad annum 394. Honorius *apud* Rauennam Constantium consortem sibi facit in regno. Constantius imperator Rauennae moritur, *Chr.* ad annum 420. *Apud* Constantinopolim, *apud* Romam, *Chr.* ad annum 454.

Cata. — Vnum tantum exemplum ap. Georges : *cata* mane mane, Vulgat., *Ezech.*, 46, 14-15. In *Peregrinatione : cata* singulos ymnos, 71, 8; 73, 16; 71, 20; 74, 11 ; *cata* mansiones monasteria sunt, 47, 4 ; *cata* Pascha, 58, 9.

Cuius praepositionis usum alicuius esse momenti existimabis, si quae de ea scripsit Meyer-Lübke memineris : « D'autre part, à l'époque latine encore[1], le grec κατά dans un sens distributif a fait son apparition et s'est maintenu intact dans l'esp. port. *cada*[2]. » Sed in hodiernis quoque Galliae meridionalis dialectis *cada* pristinam uim seruat : occit. *cado jour* < *cata diurnum ; cado nèit* < *cata noctem*, etc. Ceterum in omnibus illis linguis animaduertendum praepositionem sensum adiectiui indefiniti adsumpsisse sed re uera in vocibus immutabilibus adnumerari.

In iisdem linguis eadem praepositio ad indefinita pronomina informanda adhibita est : prou. *cadun*, hisp. *cadauno*. Cf. fr.-gall. *chacun*.

Cata id. quod *secundum* significans usurpatur : *cata* Matheo, 85, 2; in euangelio *cata* Iohannem, 89, 29 et nonnullis aliis eiusmodi locis.

Desideratur apud Gregorium, Hieronymum, Fredegarium.

Circa. — *Circa* (gall. *autour de*) cum accusatiuo : *Circa puteo* (i. e. *puteum*), 68, 14; *circa* radicem, 40, 13; *circa*

1. Legitur ap. Hieronym. presb. *Comment. in psalmos* (*Analecta Maredsolana*, III, 1. p. 41, 3 : « κατα μόνας non unum sed per multos quemque significat. »

2. Meyer-Lübke, *Gram. des L. Rom.*, II, 569 a.

monasterium, 70,5; *circa* significat francogallicum *pour* : *circa* me conferre dignatus est, 45, 13.

Aduerbii uim hanc praepositionem tenere hoc loco existimo : prope radicem montium ipsorum, id est *seu circa* illius, qui medianus est, *seu circa* illorum, qui per giro sunt, 40, 13-14.

Contra. — *Contra* faciem Iericho, 50, 29; *contra* ipso loco, 63, 17; *contra* mature, 75, 17 (= mature.) Cf. *contra* mare Rubrum, Fredeg., 25, 13.

De. — Quam frequens fuerit usus huius praepositionis omnibus, qui quidem romanis, quae dicuntur, linguis studuerint, satis notum est quam ut de eo longius disseramus. Quod ad Etheriam attinet liceat hic diuersa exempla producere quae quam libenter haec praepositio in sermone uulgari usurpata sit satis ostendant[1].

De ponitur pro *ex* cum *uerbis exeundi*. Exempla : exire *de* ecclesia, 40, 9; cf. 45, 2; 90, 23; *de* palatio exit, 62, Descendere *de*, 65, 26; 66, 7; 57, 6. *De* spelunca eicitur, 72, 8. Egredere (p. egredi) *de* ecclesia, 53, 29. Venire *de*, 39, 29; 58, 3; 62, 6; se colligere *de*, 100, 17; 100, 24. Fluere de, 52, 13: 52, 27. Percurrere *de* : *de* ipsa ualle percurrentem, 59, 7. *De* ore illorum procedere, 68, 21. Ascendere *de*, 83, 21; 91, 29. Ducere: *de* ecclesia ducunt, 74, 29. Proficisci : proficiscentes *de* eodem loco, 53, 9. Ambulare : *de* eodem loco ambulauerunt, 46, 16. Ire : *de* summo monte itur, 83, 29; *de* ecclesia itur, 99, 3. Venire : *de* Martyrium uenitur, 90,5; 91, 18[2].

De cum *uerbis redeundi* et nominibus urbium. —

1. Cf. Bonnet, *op. laud.*, p. 607.

2. *De* palatio expellitur, Idat., *Chr.* ad annum 432. Se mouere *de*, *ibid.*, ad annum 456. *De* fide catholica in Arianam transiisse perfidiam, Idat., *Chr.* ad annum 428. *De* littore commoti Vandali, Idat., *Chr.* ad annum 460. *De* ingenti flumine deriuari, Valer., *P. L.*, 86, 430 D.

Reverti *de*, Idat., *Chr.* ad annum 467; *ibid.* ad annum 468; eripere *de*, Valer., *P. L.*, 87, 425 D; uenire *de* domo, Valer., *P. L.*, 87, 446 B.

Descenditur *de* Imbonum, 86, 19; *de* Clesma exiremus, 46, 26; ...*de* Ramesse, 46, 24; euntibus *de* Ierusolima, 82, 5; cum uerbo *proficiscor* multa exempla adsunt : 60, 30; 50, 18; 55, 26; 69, 14, etc. *De* Syon uenitur, 81, 14; 79, 27; 69, 4. Reuertens *de* Sodomis, 57, 14; cf. *de* Emerita egreditur, Idat., *Chr.* ad annum 457.

De pro *ex* cum aliis uerbis : *de* quo locutus est, 42, 18 (= *d'où, du haut duquel*); 43, 11 ; locutus est *de* rubo, 38, 2 ; *de* quo loco uidit, 43, 22 ; 37, 12 ; 54, 5; cf. 40, 29. *De* castro, quod ibi est, appellatur Clesma (= *d'après*), 46, 25; potare *de*, 44, 4; bibere *de*, 59, 6, etc.

Frequentissime et, ut ita dicam, usque ad fastidium usurpatur haec locutio : *locum legere de*. Exempla : lectus est ipse locus de *Genesi*, 65, 14; cf. 68, 9; 78, 14; 41, 24; 42, 26; 86,10; 86,24; 87,14; 89,9; 89,10; 89,12; 89,13; 42, 4; 83, 28; 82, 10; 92, 3; 93, 31; 94, 22; 90, 61; 52, 5; 53, 3. Confer apud Hieronymum, Gœlzer, *op. laud.*, p. 342 : *de* canticis Syon cantare praecepit, *Epist.*, 7, 3; *de* scripturis sanctis cotidie aliquid discere, *Ep.*, 108, 19.

De = *a, ab.* Accipere *de* : accipientes *de* presbytero, 58, 15; *de* ipso acciperem, 64, 26; moueramus *de* mansione, 52, 11; profecti... *de* rubo 43, 16; regressus est... *de* caede, 57, 14: *de* ipso fonte uenit, 57, 21 ; *de* porta... peruenitur, 95, 6. Requirere *de*, 57, 17; 97, 7, ap. iam Cic. usurpatur [1].

De cum uerbis passiuis raro coniungitur : fatigati *de* uigiliis, 86, 29; sed : *de* quo unguebantur [2], 88, 24 (= *ex*).

Verbis actiuis postponitur *de* ubi accusatiuum exspectes. Velut : accipientes de presbytero eulogias... id est *de* pomario,

1. Cf. Gœlzer, *Dict. lat.-fr.*, s. u. — Draeger, *Hist. Syntax.*, I, 627.
2. Cf. premere *de* manibus, 88, 11; tangere *de* fronte, 88, 20, ubi *de* pro *ablatiuo instrumenti* (P. Geyer, *Ind.* ad *Silu.*, 398[a]) positum est.

58, 16; dederunt... eulogias... id est *de* pomis, 40, 10; *de* spiritu Moysi acceperunt... uiri, 44, 5; furasse *de* sancto ligno, 88, 17: quod cum usu omnium linguarum romanarum ualde congruit.

De significat *quod attinet ad*: quod *de* arboribus est, 81, 11; *referre de* frequenter occurrit: referente *de* Arabia, 49, 2; retulit *de* illas statuas(?), 49, 10. Instructus *de* scripturis, 66, 24. (Hoc exemplum in indice uerborum cum loco supra significato: *de* uigiliis fatigati, a Paulo Geyer coniungitur; equidem existimo duo exempla minime inter se congruere.)

De cum nominibus coniunctum, *a)* Indicat materiem: *de* argento... frustella, 57, 10. Cui exemplo haec addere liceat in quibus *de*, cum uerbo coniunctum, indicat ex qua materie res facta sit: *de* marmore facta, 62, 17; *de* ipsa lapide (*subaud.* facta), 65, 12.

b) Pro genetiuo possessiuo ponitur: fundamenta *de* castris, 51, 15. Clerici *de* ipsa ecclesia, 68, 14; hostia *de* basilica, 75, 2; *de* eo torrente aquam, 59, 6; *de* ceteris... ciuitatibus nihil... apparet, 56, 16; *de* quibus abitationibus... fundamenta parent, 43, 28; diaconibus *de* Ierusolima, 51, 6; presbyter loci ipsius, id est *de* Libiade, 52, 10; episcopus *de* Segor, 54, 24. In dextro *de* itinere, 47, 9[1]; sorbitione... *de* farina, 91, 12 (cf. fomenta *de* farinis, ap. Marcellum Empir., p. 135, 6, teste S. Chabert, *op. laud.*, p. 100); ponderatio *de* ceriofalis, 76, 16.

Hoc loco: profectione... *de* terra Egypti notandum est nomen uim uerbi quasi seruauisse, ita ut ex *proficisci de* (pro *ex*) locutio *profectio de* facta sit.

De localem temporalemue notionem indicat. — *a)* Hic satis est Horatianum illud « surgunt de nocte latrones », *Epist.* I, 2, 32, in medium uocare ut uno exemplo commemoretur hanc praepositionem cum temporali notione

1. Cf. triumphus *de* hoste, Valer., *P. L.*, 87, 447 B.

a scriptoribus etiam saeculi Augusti, in pedestri quidem sermone, usurpatam esse[1].

De media nocte, 90, 16; *de* nocte, 66, 15; *de* noctu, 79, 3. *De* eo tempore, 49, 22; *de* hora nona, 90, 3; *de* hora sexta, 87, 25; *de* pullo primo, 93, 1; 96, 2; 96, 1; 95, 23; 78, 25; 84, 14; 85, 19; *de* pullo, 93, 17. *De* alia die omnes ieiunant, 95, 28; *de* die crastino, 83, 17; *de* pullorum cantu, 82, 28: *de* hora lucernarii, 79, 28.

De... usque: de ea hora usque, 87, 23; *de* sexta usque ad nona, 89, 8; *de* sabbato usque in, 82, 23.

De sera ad seram, 81, 5. Cf. *de* uespere in uesperi, Fructuos., *P. L.*, 87, 1107 A.

b) De localem notionem indicat. *De* dextra parte, 54, 28; cf. 95, 10; *de* latere sinistro, 59, 12 (cf. uallem *de* sinistro nobis uenientem, 58, 28).

De... ad, in: de castro ad castrum, 47, 6; *de* eo loco ad montem, 37, 14; *de* porta in porta, 43, 30.

De usurpatur quoque cum uocabulis quae quantum locus ab altero distet indicant[2]. Ad quingentos passus *de* eodem loco, 82, 6; cf. 68, 27; 67, 7: usque tertium miliarum *de* ciuitate, 63, 6; quingentos passus *de* mari, 46, 2; *de* Segor... sexto miliario, 54, 26; locus *de* Ierusolima uicesima et quinta mansione est, 60, 23; 69, 11. Habebat *de* ciuitate, 59, 22. *De* Arabia... ciuitate... millia passus sunt Ramessen, 48, 18; quoniam *de* Antiochia propius est Mesopotamiam, 60, 24.

De post *quicumque* aut uoces quae idem significant. Quicumque *de* presbyteris, 73, 24; *de* diaconibus, 73, 26.

Sola *de* illis quinque, 54, 15; *de* octo septimanis deductis octo diebus (frequens ap. Ciceronem et Liuium).

1. « In allen Zeiten : *de die, de nocte*, aber mit der modificirten Bedeutung : schon bei Tage, schon bei Nacht d. h. mitten in der Nacht. auch *multa, media de nocte.* » (Draeger, *Historische Syntax*, I, p. 629.)

2. Cf. Haud procul *de* Emerita, Idat., *Chr.*, Migne, 74, 716. Haud procul *de* Arelate, *ibid.*

Partitiui genetiui speciem his locis agnoscere uelim : quadragesimae *de* epiphania, 77, 19; prima *de* quadragesimis, 81, 17; alia die *de* quadragesimis, 96, 23. Cf. Idat., *Chr.* ad annum 456 : *de* Erulorum gente aliquanti.

De plebe quanti uolunt, 91, 26; cf. qui uult *de* populo, 90, 12; cf. 74, 21; 74, 13; 97, 18; 96, 8; si qui sunt *de* ipsis aputactitis, 81, 1. Cf. unus *de* senioribus, Valer., *P. L.*, 87, 446 A. Pauca *de* plurimis, immensus numerus *de*, *ibid.*, 426 CD.

Varia. Habet *de* se (ecclesia) gratiam grandem, 39, 26.

Missa facta *de* Cruce, 88, 1. Missa *de* ecclesia facta, 78, 20: cf. 97, 14; 92, 1. Ecce ista fundamenta... hae sunt *de* palatio, 57, 8 (*fr.-gall.:* ce sont ceux *du* palais).

Ex. — Religiosus *ex* monacho, 49, 7; 49, 23. Episcopum uere sanctum *ex* monacho, 69, 19. Iam senior et de scripturis bene instructus, id est, qui loco praeerat *ex* monacho 57, 1. Sic P. Geyer scripsit, sed comma *praeerat* postponendum esse cetera exempla demonstrant, ita ut intellegas : bene instructus... *ex* monacho. Quibus locis omnibus haec praepositio uidetur idem quod francogallice dicimus : *conformément à*, *comme il convient à*, significare[1].

Foras. — Vocem illam rarissime cum functione praepositionis usurpari notauit H. Gœlzer de latinitate Hieronymi disserens (*op. laud.*, p. 334). Haec exempla in *Peregrinatione* occurrunt : *foras* ciuitatem 65, 20; 63, 4; 99, 11; 65, 11. *Foras* hostium, 54, 2; 40, 20. Ea raro utitur Gregorius[2]. Eandem formam *foras* pro aduerbio *foris* positam esse dum de aduerbiis disserebamus notauimus (cf. infra

1. Fortasse : *religiosus, sanctus*, etc., ut decet hominem esse qui fuit monachus?

2. Bonnet, *op. laud.*, 579, 2.

deforis). Apud Fredegarium[1] aduerbialis tantum forma occurrit[2].

Omnibus qui romanis linguis student satis notum est francogallicam linguam praepositionem aduerbiumue *hors*, *dehors* ex *foris*, *deforis* duxisse, occitanicas contra dialectos formam *deforas*, *foras*, anteposuisse. In plerisque quidem his dialectis, sicut in hispanica lingua, non plenam, ut ita dicam, formam *deforos* < *deforas*, sed occit. *deforo*, hisp. *fuera*, nulla *s* adiuncta, inuenias. Quod si explicare tentamus, illud ut ueri simillimum admittendum uidetur *s* iam in uulgari latina lingua obmutuisse ita ut juxta *foras* forma *fora* exstaret[3].

In. — Cum uocibus tempus indicantibus (quaest. *quo tempore*).

In ea die, 63, 18; *in* ea nocte, 39, 8; *in* illo tempore, 63, 15 (cf. omnia exempla in unum congesta apud P. Geyer, *Ind*., 403^{b})[4].

De *in* cum uerbis eundi et nominibus propriis, cf. supra.

In cum ablatiuo ubi illum casum solum exspectes : *in* collo tenent, 84, 3.

Varia : in quinto decimo miliario, 61, 9; de rubo *in* igne, 38, 3. Ille quoque locus hic notetur : ecce hic locus est *in* ducentis passibus, 57, 18.

Saepissime *in* occurrit cum ablatiuo dum accusatiuum exspectes et uersa uice dum ablatiuum exspectes cum accusatiuo. Sed id non omnino ad syntaxin pertinet ; cum enim fere idem sonarent *u* et *o* post accentum posita,

1. Cf. Krusch, *Ind*. ad Fredegar., *foris urbem*, 155, 25.

2. *Foris* mittere, Eugen. Tolet. episc., *P. L.*, 87, 413 A; *foris* (adu.), Fructuos., *P. L.*, 87, 1110 C.; *Foris* exire, Valer., *P. L.*, 87, 441 C.

3. Ant. prou. *deforas* (Rayn. *Lex. Rom.*), *defor*, *defora* (E. Levy, *Prov. Suppl.* W. s. u.)

4. De quo usu apud Gregorium Turonensem uide Bonnet, *op. laud.*, p. 620. Quod ad Fredegarium attinet animaduertit Haag (*loc. laud.*, § 118) : « Dagegen ist Ablativ mit *in* sehr gebräuchlich bei Zeitangaben. »

postquam *m* in fine obmutuit, facillime casus alter alterius uice functus est. Vide omnia exempla in indicibus editionis Pauli Geyer, p. 403[b]. Rariora sunt exempla accusatiui pro ablatiuo usurpati (commorabantur *in montem*, 43, 18, Sedebat *in* herem*um*, 59, 17, etc.).

Multa nomina urbes locosue designantia cum *in* praepositione informata fuisse satis notum est : quem usum in hoc exemplo agnoscere uelim : *qui locus appellatur in Choreb*, 41, 13[1].

Illud denique commemorandum doctum uirum Bonnet iam notauisse (*op. laud.*, p. 618) « *in* significare quo modo res personaue adficiatur, postquam res uerbo designata effecta sit ». Mirum quantum idem fere exemplum quod Bonnet ex Gregorio excerpsit in *Peregrinatione* occurrit : uelut apud Gregorium : commotus *in* lacrimis (*H. Fr.*, 2, 30, p. 91, 21); in *Peregrinatione :* moueri *in* lacrimis. 74, 4. Quod exemplum cur P. Geyer cum illo : *sperantes in se*, 51, 3 (cf. *Ind.*, 403[b]) coniunxerit nescio.

Inter. — Nihil fere de hac praepositione notandum, nisi quod *inter* cum ablatiuo coniungitur hoc loco : *inter* Cruce et Anastase, 89, 5. Qua menda ne acrius offendamur commemorare liceat quae iam supra de illa casuum confusione scripsimus; adde quod, cum *Anastase* quasi indeclinabile nomen haberetur, facilius *Cruce* pro *Crucem* secum attraxit.

Intra. — Fere semper cum ablatiuo, etiam cum *uerbis eundi : intra* spelunca intrat, 84, 30; *intra* qua ecclesia, 101, 7; sed *intra* quam ecclesiam, 53, 15; *intra* ciuitate ipsa, 65, 6; *intra* Anastase, 78, 13; isset *intra* Ramesse, 49, 14.

1. Cf. nonnulla exempla neglegentioris scribendi rationis his locis : per hunc principum moderata *in populis* (populos) ira decreta consistant, *Miss. Mixt.*, Migne, *P. L.*, 85, 882. *In* Nacoliensium *campos* oppressus, Idat., *Descr. Cons. P. L.*, 51, 909; diem functus... *in fines, ibid.; in corpore* reuerti, Valer., *P. L.*, 87, 431 C.

Intro[1]. — Videtur pro *intra*[2] scriptum his locis : intrat *intro* speluncam, 73, 21 ; ingreditur *intro* spelunca, 71, 23. Cf. etiam 98, 24 ; 73, 31. (*Intro* cancellos, 72, 1 ; 75, 8.)

Iuxta. — Sub uerbo *iuxta* (*Ind.*, 405[b]) scripsit P. Geyer : « aduerbium loci ». Cui cum plane adsentiar, parum rectum mihi uidetur eo loco illud in medium uocari : *iuxta sibi* monasteria [instituunt].

Legimus enim 68, 7 : *ibi iuxta ;* 62, 17, *et iuxta ;* 42, 22, ostenditur *ibi iuxta ;* 68, 15, habentes *iuxta* monasteria : ex quibus exemplis mihi non audacius uidetur *iuxta sibi* in *iuxta ibi* esse mutandum.

De eadem uoce praepositionis uicibus fungente, uid. P. Geyer, *Ind. ad Silu.*, 405[b].

Per. — Frequenter usurpatur cum uerbis *eundi :* iter facientes *per* singulas mansiones, 60, 5 ; reuertentes *per* Iericho, 55, 17, etc. Loca *per* ipsam uallem ostendebant, 38, 11 ; cui loco quaedam motus notio inest. Sequentibus uero exemplis haec notio aut omnino deest aut tenuissimo tantum filo cum iis coniuncta est[3]. *E. gr.* dignati sunt me *per* monasteria sua... suscipere, 68, 20 (infra [68, 24] suscipiunt *in* monasteriis suis) ; commanentes *per* Martyria, 62, 1 ; monasteria plurima sunt *per* ipsum collem, 69, 32 ; ager publicus erat *per* Egyptum, 49, 28. *Per girum* quinquies occurrit (*per* giro, 38, 15). Illum denique locum : tendit *per longum,* 43, 8, si cum simili quodam conferas tendebatur *in longo,* 59, 14, animaduertas utrumque idem significare. De *per* cum locali notione apud Fredegarium, cf. Haag, *op. laud.*, § 106.

1. In hispanica lingua nihil ex *intra* informatum est, sed ex *intro*, formae *entro*, *dentro* defluxerunt. Cf. E. Gorra, *Lingua e lett. spagn.*, p. 170 : « *intro successe ad intra*. »

2. *Intra* Gallias occiditur, Idat., *Chr.* ad annum 411 ; *intra* Galliam, ad annum 412 (eadem linea : *in Africa*). *Intra* palatium, Idat., *Chr.* ad annum 454.

3. Cf. Hispani *per* ciuitates et castella residui. Idat., *Chr.* ad annum 411.

Per cum uoce temporis : *per* illos dies, 97, 20; *per* diem ipsum, 65, 28; *per* tota die[1], 85, 8: *per* ipsa septimana, 90, 3: cf. 81, 24: *per* biduo, 50, 10: cf. 78, 30 (*per* triduo, Fredeg., 142, 2): per Epiphania, 101, 2: per Pascha (occitanice etiam nunc *per Pascos*), 77, 22: 73, 12. Cf. Diez, *Gram. des L. Rom.*, III, 176. Nullum eiusmodi exemplum apud Gregorium notauit Bonnet. Quod ad ablatiuum pro accusatiuo positum attinet, confer quod supra scriptum est[2].

Per indicans quasi instrumentum, modum quo quis utitur : scio *per* scripturas, 66, 28; ostendatur... *per* euangelia... *per* apostolorum scripturas, 89, 18; testatus est... *per* epistolam, 60, 17.

Post. — Vsum quendam praepositionis *post* cum *uerbis eundi* coniunctae quo qui scripserunt aurea aetate latinae linguae non usi sunt animaduertit M. Bonnet (*op. laud.*, p. 591-592: ad eundem iam locum lectorem misit P. Geyer, in *indice uerborum*, s. u. *post*) : cuius usus in *Peregrinatione* tria exempla sunt : Egyptios *post* se uenientes, 47, 22; *post* illos occuparet, 49, 14; *post* filios... fuisset profectus, 49, 16. Nullum exemplum apud Fredegarium.

Post cum ablatiuo saepissime occurrit; *post* cena, 82, 24; *post* Pascha, 93, 8, etc. Cf. cetera exempla apud P. Geyer, *Ind. uerborum*, s. u. *post*.

Prae. — *Prae* tam magna turba, 86, 28, secundum legem.

Praeter. — Aduerbii uicibus fungitur hoc loco : non solum, hii, sed et laici *praeter* uiri aut mulieres, 71, 15. Alteri uero loco (duo tantum sunt qui commemorentur digni), *praeter oblatio*, 79, 14, mendam inesse existimo.

1. Cf. *per* nocte, Fredeg., 142, 31; 129, 12, etc.
2. Frantanes moritur *per Pascha* et Pentecosten, Idat., *Chr.* ad annum 456 (fr.-gallice *entre*).

Si enim totum locum legas : *quae consuetudo est ad nonam agi praeter oblatio ; nam ut semper populus discat legem, et episcopus et presbyter praedicant assidue,* 79, 14, fiat ut non mireris Paulum Geyer *oblationem* scribendum esse coniecisse et ei omnino adsentiaris.

Pro. — Hanc praepositionem iam apud Hieronymum id. quod *propter, causa* (fr.-gall. *pour*) animaduertit Gœlzer (*op. laud.*, p. 343). Cuius significationis apud Etheriam quoque occurrere nonnulla exempla hi loci demonstrant : qui *pro aetate...* occurrere... non poterant, 45, 5 ; *pro sollemnitate et laetitia...* infinitae turbae se undique colligent (= unt), 77, 16. Lente et lente itur *pro populo*, ne fatigentur pedibus, 95, 9.

Cf. ap. Idat. *pro fide catholica* pulsus, *Chr.* ad annum 400, at paulo inferius : *ob fidem cath. ; pro unanimitate,* Idat., *Chr.*, Migne, *P. L.*, 74, 733-734. *Pro quo* Adam expulsus est, Apring., p. 17 ; *quid est pro quo, nescio pro quo,* Valer, *P. L.*, 87, 447 B.

Prope. — Cum ablatiuo construitur : *prope* episcopo 97, 16 ; *prope* luce, 75, 30. Quid hoc loco : quoniam de Antiochia *propius* est Mesopotamiam, 60, 24 ? Nonne comparatiuus *propius* uim simplicis praepositionis seruat ?

Sub. — Quod ad huius praepositionis usum attinet hic tantum locus notatione dignus uidetur : *sub praesentia* matris suae, 76, 18. Cf. *sub interuentu* episcopali, Idat., *Chr.*, Migne, *P. L.*, 74, 719 ; *sub praesentia* Theodosii Augusti, Idat., *Chr.*, Migne, *P. L.*, 74, 719 ; id., *ibid.*, 747-48.

Super. — Pro *in* positum : imposuerat manus *super* eum, 59, 3. Fallere uos *super* hanc rem non possum, 54, 23 (Cic. *in* rebus minimis socium fallere turpissimum est, ap. Georges) ; summitas *super* ipsa ualle inspiciebat, 43, 21 (Terentius, inspicere tanquam *in* speculum, ap. Georges, *Lat. d. Wörterb.*). At contra ; sedere *in* asellis, 53, 11

(Gregorius : aselli illius *super* quem sedit; cf. Bonnet, *op. laud.*, p. 621).

Super significat *ad, prope : super* mare, 45, 29; 55, 11; *super* ripam fluminis, 50, 6; 51, 17; 56, 4; 58, 20.

Super falso ponitur his locis : dicit benedictionem *super* cathecuminos, 72, 24 : *super* me misericordiam praestare, 70, 29.

Aduerbii uicibus fungitur : candelae *super* ducentae, 86, 31[1].

Supra. — Iisdem casibus usurpatur quibus *super*, siquidem ex his locis conicere licet : *supra* mare, 47, 21; 69, 15. *Supra* modo, 76, 3; ubi eadem casuum confusio quam iam notauimus (supra, passim) animaduertenda est.

Vsque. — Huic praepositioni *ad* uel *in* semper adiciuntur[2].

Vsque ad : 46, 12; 57, 24; (a...usque ad 58, 13); 50, 26; etc. *Usque ad* hora, 86, 8. *Usque ad* cum aduerbiis temporalibus : *usque ad* mane, 78, 26; 79, 4; 84, 14; 85, 20. *Usque ad* sero, 90, 4.

Vsque ad ut aduerbium usurpatum : *usque ad* minimus infans 86, 27; *usque* etiam qui pedibus ambulare non possunt, 84, 2.

Vsque in frequens cum hodie : *usque in* hodie, 59, 29; 63, 21; 42, 15, etc. Cum *mane* : *usque in* mane, 81, 15; 81, 6[3].

1. Idat. scripta *super* Ierusalem caelestis irae reuocauit exempla. *Chr.* ad annum 456.

2. Excepto hoc loco : *usque* tertium miliarium, 63, 5.

3. Cf. F. Thielmann, *Usque* mit Konjunktionen und Aduerbien, *A. L. L.*, VI, 70.

II. De compositis Aduerbiis uel Praepositionibus

A foras, 54, 28.
Ab olim, 66, 20.
A contra, 55, 1; 55, 4. Cf. Valer., *P. L.*, 87, 435 D.
A semel, 63, 20; 57, 26.
Ad subito, 63, 3; 59, 22, etc.
Ad tunc, 59, 25.

De ante, 90, 1.

De inter, saepe, 45, 30; 46, 9, etc. Ipse iam adnotaui, cum in ephemeride quae inscripta est *Rev. de Phil. fr.* libellum Haagii (*Die Latinität Fredegars*) commentarer, doctum illum uirum in hoc errauisse, scilicet cum diceret *de inter* primum ap. Fredegarium occurrere. Cf. ceterum Hamp, *A. L. L.*, V, 347.

De intro, quoque occurrit, 71, 23, 27; 72, 3, 10. Cf. hisp. *dentro*. Cf. *ab intro* in codice Versionis (in Africa scriptae) *Libri Sapientiae* ap. Thielmann, *A. L. L.*, VIII, 258.

De contra, e contra. E contra, 59, 12; « biblisch », Rönsch, *Ital. Vulg.*[2], p. 233. Cf. Hartel, *A. L. L.* III, 19. Cf. *e contra* ap. Valer., *P. L.*, 87, 449 A. Cf. hisp. *escontra*; sed recorderis uelim *e contra* ter ap. Auitum occurrere et ap. Cypr. Gall., *ad Senat.*, 69; Lucif. Calarit., 19, 23. *De contra*, 54, 8; 38, 30, etc. (Cf. Chiron., 119, 18.) *Ex aduerso eiusdem basilicae*, Valer., *P. L.*, 87, 450 A. *E contra*, Fructuos., *P. L.*, 87, 1108 D; *e contrario*, Appring., p. 21; Fructuos., *P. L.*, 87, 1106 C.

In ante, 64, 31.

In hodie, 41, 17; 54, 15.

Inibi, 58, 23; iam a Plauto, Pacuuio usurpatum. Cf. Wölfflin, *A. L. L.*, VI, 89[1].

1. *Desuper* legitur ap. Valer., *P. L.*, 87, 429 B; 436 B.
In *Libro Gloss.* Isidori Hispalensis occurrunt: pone prope; procul procul; in palam; in ante.

CAPVT III

De Pronominum Vsu[1].

Personalia quae dicimus pronomina cum uerbis coniuncta perraro occurrunt ; *tu promiseras,* 62, 31. *Ego* sic usurpatum ter occurrit : 66, 14 ; 47, 8 ; 62, 20[2].

In tertia uero persona id frequentius euenit : *ille dixit,* 92, 8, *ille uituperatur,* 81, 7 ; *ille laudatur, ibid.*, *ille habuit*, 52, 23, etc. : quibus omnibus locis *ille* nullam oppositionem, contra rectam consuetudinem, significat[3].

Pronomine *ipse* libenter quoque Etheria utitur : *ipse* longe est. 52, 20 ; *ut ipsi* dicebant, 62, 12 ; *ipse* dixit, 49, 3, etc. Sed de pronomine *ipse* infra fusius actum erit.

Pluribus quidem locis pronomen *ipse* peculiarem uim seruauit : tum uero Etheria formula *et ipse* libentius utitur : *et ipsi*, 66, 14 ; *et ipsa,* 100, 4, etc.

Numeralia et indefinita. — *Aliquanti* pronominis *aliquot* locum obtinuit (quater, 51, 6 ; 56, 13, 61, 21, 27). Item apud Idatium, in cuius Chronicis *aliquantus* quindecies, *aliquot* quater, *aliquis* bis, *nonnulli* semel occurrunt. Cf. Valer., *post aliquantorum* annorum interuallum, *P. L.*,

1. Adiectiuis demonstratiuis uel possessiuis inclusis.

2. *Si uis, duco uos*, legitur, 57, 19 : ubi plurale pro singulari urbanitatis causa (cf. Bonnet, *op. laud.*, p. 498 et *ibid.*, n. 4) positum non agnouerim : *uos*, id est comites Etheriae.

3. Recte contra his locis : *omnes... ille*, 71, 28 ; *nos interrogauimus .. illi dixerunt*, 49, 13.

87, 440 C; *aliquantis diebus*, 449 D; *aliquanta signa*, 452, C. In prisca hispanica lingua *alguanto*, ital. *alquanto*, prisc. fr.-gall. *alquant*[1]. Item *quanti* pro *quot*, 74, 22; 91, 26.

Aliquis pro *quidam* uidetur esse positum hoc loco: *aliquo biduo* (id est *fere* biduo?), 49, 20.

Unus: cum uocibus *psalmus*, *hymnus* hoc pronomen saepissime usurpatum inuenimus: 86, 23; 85, 30, etc.: quibus locis fortasse recte, ueri similius superflue. Post nomen ter: *psalmus unus*, 56, 28; 53, 3; 52, 5. Sed *dictus psalmus*, 58, 20.

De quo pronomine ut omnia quae quidem commemoratione digna esse uideantur scribamus, hi loci in medium uocandi: *uno et uno*, 71, 28; *per unum... per alterum*, 88, 28.

De Pronominibvs adiectivis demonstrativis cvm nominibvs conivnctis.

Vt usus illorum pronominum clarior appareat, omnia quae apud Siluiam occurrunt in tabulam congerere opportunum uisum est. Admonendum tantum uocem *locus* pro quauis alia, ut in unam formulam exempla reducerentur, esse positam.

A. *Ipse locus*, 139.
B. *Locus ipse*, 47.
C. *Ille locus*, 65.
D. *Locus ille*, 37.
E. *Hic locus*, 58.
F. *Locus hic*, 2.
G. *Is locus*, 16.
H. *Iste locus*, 7.
I. *Locus iste*, 2.

Quam tabulam inspicientibus primo adspectu illud

1. Meyer-Lübke, *Gram. des L. Rom.*, II, § 571.

apparebit Etheriam pronomine *ipse* libentius quam pronomine *ille* usam. Exempla A -B prius *centies octogies sexies,* posterius contra *centies bis* usurpari docent. Maius etiam discrimen si A solum cum C conferas. Id Hispaniae latinis scriptoribus non esse peculiare multae hodiernae dialecti significant. In quibusdam enim partibus meridianae Galliae a pronomine *ipse* definitus quem dicimus articulus deriuatur. Hunc usum omnibus fere gentibus communem esse quae oras maris mediterranei a Barcinone (Balearibus insulis non exclusis) usque ad Sardiniam incolunt a multis grammaticis iam diu obseruatum est[1].

Ipse aliquando pro *idem* ponitur : omnia exempla (octo sunt) cum accuratissime ab editore Paulo Geyer in unum sint collocata, unum satis sit producere : « haec ergo uallis *ipsa* [id est *eadem*] est in cuius capite ille locus est, » 37, 26[2]. Quod commune esse, non Hispaniae latinis scriptoribus, sed omnibus qui eodem tempore exstiterunt, satis multa exempla docent. Quibus planius si necesse est confirmantur quae Max Bonnet de hoc pronomine scripsit : « *Ipse* est peut-être de tous les pronoms celui dont le domaine s'est le plus élargi. » His uerbis omnino adsentiendum, ita tamen ut aduerbium *peut-être*, quod ad Etheriam adtinet, superuacaneum esse uideatur.

Iam uero haud magni forsitan momenti, primo quidem adspectu, uideatur numerare quoties his uocibus, ut meris pronominibus, nullo nomine adiecto, usurpatis, Etheria usa sit. His tamen disquisitionibus usque in tenuissima deductis quid peculiare rationi scribendi Etheriae insit clarius significatur.

Neutrum singulare : *hoc, illud, *ipsud.* Neutrale *illud* pro *subiecto* uel *obiecto* declarando usurpatum terde-

1. « Le sarde, le majorquin, ainsi qu'une partie du gascon et du catalan, ont préféré *ipse.* » (Meyer-Lübke, *Gram. des L. Rom.*, II, § 99.)

2. Frequentissime apud Idatium legitur *ipso anno* pro *eodem anno.* Cf. quod ad *italicum* scriptorem spectat, Bellanger, *Anton. Placent.*, p. 90, 91 ; quod ad *gallicos :* Haag, *Lat. Fredegar.*, § 122 ; Max Bonnet, *op. laud.*, p. 301.

cies : *ipsud* contra semel (81, 5). *Hoc* uicies ter occurrit. Neutrale *hoc* cum praepositionibus : *propter hoc*, semel, 100, 7; item *in hoc*, 51, 3; *post hoc*, sexies.

Ille, illa, illud cum praepositionibus (exempli gratia *post illos*), cum nominibus (exempli gratia *liber illius*), cum uerbis coniunctum uicies septies occurrit (inter quae quater *illorum*, uelut *de ore illorum* semper nomini postpositum).

Eodem modo *ipse* uicies bis usurpatur.

Iste semel occurrit : *isti*, dat., 64, 5.

Is, ea, id, quater[1].

Quae supra scripta sunt nunc attentius perpendamus. Pronomen *ille* aliquanto frequentius quam *ipse*; *ipse* rursus, cum nominibus coniunctum, multo frequentius : *iste* in utroque usu rarissimum. Quid nunc sentiendum de his quae de usu illorum pronominum doctus uir G. Mohl temere affirmavit[2] : « Déjà chez Lucain, Obermeier, *Sprachgebr. des M. Annaeus Lucanus*, p. 15, remarque que *iste* « hat die übrigen Demonstratiua geradezu verdrängt », et nous ajoutons qu'il en est à peu près de même chez Sénèque; c'est un trait nettement accusé du latin d'Espagne. Le pronom *ipse* apparaît de son côté au lieu de *hic* ou *ille* avec une fréquence particulière et très caractéristique sur les inscriptions d'Espagne. Le pronom *is*, *eius*, *ei*, de même, montre en Espagne plus de vitalité que dans les autres provinces, etc.[2]. » Quibus affirmationibus alii adsentiantur : equidem eas esse uanas, quod ad *ipse* spectat, supra ostendi, et, quod ad cetera pronomina, parum cum usu Etheriae congruere existimo : de quo cum longius disserere sit superfluum, iam ad aliam rem transire liceat.

Pronomine relatiuo *qui, quae, quod* eo modo utitur Etheria ut id dicas adiectiui partes adsumpsisse : fit enim

1. Adde quod duo pronomina simul usurpata bis occurrunt : *hoc ipsud*, 63, 13; 94, 3. Cf. *ad hoc ipsum*, Fructuos., *P. L.*, 87, 1108 C.

2. *Chron. du lat. vulg.*, p. 27.

saepissime ut substantiuum ab eo significatum iterum ponatur, uelut his locis : *montes... qui montes*, 39, 10; *ecclesia... quae ecclesia*, 39, 26, etc., Quo usu non neglegentiorem, sed clariorem dicendi rationem, ut fit in cotidiano sermone, declarari nemo est quin uideat[1].

In *Peregrinatione* denique nullum exstat exemplum genitiui *cuius* pro ceteris obliquis casibus usurpati, uelut hoc loco ex Valerio excerpto : *in cuius prae ceteris eram charitatis amore connexus*, *P. L.*, 87, 431 C[2]. In quo aliquid peculiare hispanicae latinitati libenter uiderim, cum in hispanica (lusitana) lingua *cuyo* ex *cuius* deriuatum exstet[3].

Possessiui *suus* pro genetiuo *eius* vel *eorum* scripto unum exemplum : *illos parentes sui tenent;* cf. cum illis ueniunt multi clerici *sui*, 100, 26. Quae loquendi ratio in hispanica lingua communis facta est[4].

Pronomina *hic*, *iste* cum aduerbio *ecce* coniuncta : *nam ecce ista uia, quam uidetis*, 57, 12; *ecce ista fundamenta*, 57, 7; *ecce hic* [i. e. locus] *est in ducentis passibus*, 57, 18[5]. Hanc uerborum coniunctionem raro satis apud Gregorium occurrere cum adnotauisset Max Bonnet, in ea aduerbium suam propriam uim seruauisse addidit. In quo equidem cum optimo magistro non dissentio. Romani

1. Cf. Bellanger, *Anton. Placent.*, p. 94.

2. Cf. *reperi... christianum fidelissimum*, cuius *meritum uocabulum comitabatur suum, nomine Simplicium*. Valer, *P. L.*, 87, 443 C (*meritum* adiectiuum cum *uocabulum* coniunctum accipio).

3. Et in sardiniensi, auctore doctissimo uiro Menendez Pidal, *Manual elemental de gram. hist. esp.*[1], § 101, 2.

4. Cf. Meyer-Lübke, *Gram. des L. Rom*, II, § 92 : « Quant à la répartition de *suus* et de *loru*, le premier appartient surtout à l'espagnol et au portugais, mais il se rencontre également en Provence. » Cf. Menendez Pidal, *op. laud.*, 97, 2.

5. Non mirum eas formas eadem pagina occurrere : id enim proprium est neglegentiore ratione scribendi utentibus easdem formulas usque ad fastidium iterare. Illud tamen mirum sequentibus uel praecedentibus locis eas non saepius occurrere.

ergo, quem dicimus, usus primordia his locis inesse nemo est qui neget; simplex uero pronomen ex his duobus uocibus informatum, ut postea in linguis romanis factum est, iam in medio esse quis affirmauerit[1]?

1. Ceterum hispanica forma *aqueste* ab *ecce istum* non deriuat, sed ab *atque istum* (Meyer-Lübke, *Gram. des L. Rom.*, II, § 564), uel potius, nostro quidem iudicio, ab *eccum istum* (Menendez Pidal, *Manual elem. de gram. hist.*, § 98, 3).

CAPVT IV

Syntaxis Verborum.

Passiua uerba. — De temporibus compositis primum actum erit. *Est* semel praeponitur *est deputatum*, 70, 6; ceteris locis (quorum 85 exstant) uerbum *esse (sum, eram, ero, sim, esse)* postponitur.

Segregandas esse existimo eas formas quarum participia meris adiectiuis similia facta sunt : *scriptum est* (plerumque coniunctione *ut* praeposita), uicies sexies occurrit; *positum est, positum esse,* octies; *fixus, confixus, iunctus, periunctus est,* quater.

Supra adnotauimus uerborum coniunctionem *est deputatum* semel occurrere; in quibus temporibus participium cum formis *fui, fueram, fuero, fuerim, fuissem* coniunctum est id saepius fieri quae sequuntur exempla indicant : *fuit deputatum*, 70, 6; *fuerunt girata,* 43, 29; *fuerat ostensus,* 59, 20; *fuerat inuenta,* 100, 9; *fuissent baptizati,* 58, 15; *fuisse sepultum*, 53, 22; *fuisse cooperta*, 54, 22; *fuisse operatum,* 57, 27; quod cum usu linguarum romanarum, sed non cum una hispanica, congruit.

Saepius uero postponitur forma *fui, fuerat;* ad summum quadraginta tria exempla numerantur, ex quibus triginta nouem cum *fuerit*, duo cum *fuerat*, unum cum *fuisset*, alterum cum *fuisse* informata sunt.

Vno denique loco singularis illa forma legitur : *auditus sit* ubi exspectes *audiatur : tantus rugitus est.., ut porro ad ciuitatem gemitus... auditus sit*, 87, 5 : cui loco nullam

praeteriti notionem inesse manifestum. Hic autem usus quam late postea se effuderit passiua uerba quibus romanae linguae utuntur, et ea ex duobus tribusue formis constant, satis declarant.

Impersonalia passiua. — Saepius occurrunt in compositis temporibus : sic *peruentum est*, *uentum est*, pass. ; rarius uero in simplicibus, ut *sedetur*, 92, 14 ; *seditur*[1], 83, 22 ; denique *facitur*, 85, 25. Quorum cum priore duo exempla uerbi cui omnino contraria significatio inest, *statur*[2], conferre haud inutile existimare uelim.

Contra legem actiuum pro passiuo hoc loco : *coeperit legi*, 74, 12. At Idatius recte : *Narbona obsideri coepta est per Gothos*, Migne, *P. L.*, 74, 721.

Temporum confusio. — Plus quam perfectum indicatiui aliquando pro perfecto legitur : cum illa epistola quam *dixeram*, 64, 9 ; inter montes *quos superius dixeram*, 45, 3. Huiuscemodi exempla apud scriptores Augustiani temporis rara esse iam animaduertit Draeger[3] : « Diese Verwechselung des historischen Perfects und des Plusquamperfects kommt selten vor und beruht immer auf einer veränderten Auffassung des Zeitverhältnisses[4]. » Ex Draegerii exemplis aliqua mihi excerpere liceat : *fugitiuos ille, ut dixeram ante ;* Plaut., *Cap.*, Prol., 17. Item apud Ciceronem, Caesarem, Sallustium, *dixeram* pro *dixi* inuenitur[5]. Animaduertas uelim id cum uerbo *dicere* frequentius accidere, in quo uulgarem loquendi rationem uiderim. In antiquissima francogallica prouincialique lingua hoc tempus pro *praeterito* positum est : quod aliquando, sed multo rarius in hispanica factum est[6].

1. *I* pro *e*, ut in multis aliis exemplis de quibus supra actum est.
2. Terent. ap. Draeger, *Hist. Syntax*, I, 165 ; Seneca, *ibid.*, p. 167.
3. Draeger, *Hist. Syntax*², I, p. 161.
4. Draeger, *op. laud.*, I, 258.
5. Draeger, *ibid.*, I, 259.
6. « Das lateinische Plusquamperfectum des Indicativ ist verschoben in's *Praeteritum*, unter welchem Namen wir Imperfect und Perfect zusammenge-

Nulla rarioris usus exempla in *Peregrinatione* exstant[1], qualia haec sunt, ex Idatio excerpta : cum his cum quibus fuerat (id est *erat*) occiditur, *Chr.*, ad annum 463. Alani qui Gunderici, regis Vandalorum, qui in Gallaecia *resererat* (i. e. residebat), se patrocinio subiugarent; *ibid.* ad annum 418[2].

Infinitiuus cum habere. — Unum exemplum : *quae dicere habet*, 72, 20; ex qua uerborum coniunctione *futurum* in plerisque romanis linguis deriuat[3].

Verbi *habeo* eodem modo positi, sed in imperfecto, duo exempla[4] : *uallem trauersare habebamus, ut possimus montem ingredi*, 37, 20; *sed non ipsa parte exire habebamus, qua intraueramus*, 42, 8-9. Haec sunt quasi incunabula futuri exacti, quo nunc hispanica et francogallica[5] (prouinciali non exclusa) utuntur[6]. Quorum exemplorum dissimile quodam modo est : *haberetis haec cognoscere*, 71, 22.

fassthaben... Im Spanischen und Portugiesischen hat es seine alte plusquamperfectische Bedeutung bewahrt und erscheint nur vereinzelt als Praeteritum. » Foth, *Die Verschiebung lateinischer tempora in d. rom. Sprach.*, in *Rom. Studien*, II, p. 287. Meyer-Lübke, *Gram. des L. Rom.*, III, § 115.

1. Excepto forsitan *eminerat*, pro *eminuerat*, id est recte *eminebat* : 54, 9.

2. *Chr.*, ad annum 464 legitur : *coniuge quam haberet* (pro *habebat*); quo loco fortasse *habuerat* legendum.

De usu temporum nunc longius disserere non oportunum uisum est. In capitulo *De coniunctionibus* inscripto de re iterum actum erit. Quod ad confusa tempora praesentis et futuri indicatiui spectat, cuius usus exempla Bechtel collegit (p. 112), nihil aliud animaduertendum nisi id, ut sermoni cotidiano accommodatum, in omnibus linguis fieri. Ceterum dum sanctus Thomas haec profert : *non credo, nisi uidero*, 92, 8, praesens recte positum facile admiseris.

3. Meyer-Lübke, *Gram. des L. Rom.*, II, § 112 : « Le type le plus répandu et le plus ancien est *cantare habeo;* il appartient à la France, à l'Espagne et au Portugal, et au centre de l'Italie. » Non idem fit hoc loco : *necesse habent descendere*, 86, 30.

4. Utrumque ap. Bonnet, *op. laud.*, p. 690, n. 2 commemoratum.

5. Meyer-Lübke, *Gram. des L. Rom.*, II, § 322. Multa exempla ex scriptoribus tertii post Christum saeculi collegit Foth, *op. laud.*, 257-8.

6. Cf. Berceo, S. Dom., 284 : *Domingo prophetaba la cosa, que avenir avie.* Foth, *loc. laud.*, p. 260.

Apud Fredegarium deesse *habeo facere* adnotauit Haag (§ 80); unum exemplum apud Gregorium Turonensem[1].

Participium cum habere. — Pauca exempla participii praeteriti passiui cum *habeo* coniuncti inuenias ; duo tantum legenti mihi occurrunt, in quibus, contra consuetudinem linguarum romanarum, participium praepositum est: *fixa habuissent*, 55, 10; castra *posita habebant*, 63, 18. Cum usu linguarum romanarum magis congruunt haec exempla : *quam habebat impulsus*, Idat., *Chr.*, *P. L.*, 74, 739-740; speciem *habuisse mutatam*, *ibid.*, 747-748; in passiuo : *haec habentur allata*, *ibid.*, 722.

Habere impersonale bis legitur : *habebat de eo loco ad montem Dei quatuor milia*, 37, 13; *et quoniam inde ad sanctam Teclam,... habebat de ciuitate forsitan mille quingentos passus*, 69, 21. Quorum exemplorum prius doctissimus uir Férotin, ut iam hispanicam uerborum coniunctionem indicans, in medium uocat[2]. Quem usum, cum in omnibus fere romanis linguis adhuc superfuerit[3], immerito hispanicae latinitati fuisse proprium credas.

De usu gerundii. — Gerundium aliquando ponitur ubi id non omnino exspectes : *pars maxima sedendo in asellis potest subiri*, 53, 11; plerumque participii praesentis uicibus fungitur (quattuor exempla[4]) : *redeunt dicendo psalmos*, 58, 12.

Infinitiuus cum uerbis *mouendi :* semel cum supino : *reponent se dormito* (= *dormitum*), 74, 16; at *uadent orare*, 88, 2; *reuertitur resumere se*, 94, 11.

1. Bonnet, *op. laud.*, 690.

2. *Revue des Questions historiques*, LXXIV, p. 391, n. 4 : « en castillan *habia quatro millas.* »

3. Meyer-Lübke, *Gram. des L. Rom.*, II, § 99. In prisca francogallica lingua *a* solum usurpatur; in hodierna, *il y a*. Cf. *naguères (n'a guères)*. Huius constructionis incunabula in eiusmodi locis quaerenda : *Habet terra tua talem aquam ?* Valer., *P. L.*, 87, 432 B.

4. Cf. Geyer, *Ind. uerb. ad Siluiam*, 401 b.

Verbum *stare*. Quanta praedilectione Siluia hoc uerbo sit usa triginta quattuor exempla satis indicant.

Verbum *sedere:* aliquando recte positum, aliquando pro *esse* occurrit : haec exempla, quod ad hanc rem attinet, multo maioris sunt momenti. Non enim te fugit huius uerbi formas, idem quidem ac *esse* significantes, in linguis romanis, extra ibericam paeninsulam, non occurrere[1].

Tenere cum sensu *habendi :* iuxta consuetudinem, *quam tenebamus,* 48, 9; *consuetudinem tenuimus*, 52, 7 : quibus locis quandam uerbi *tenere* uim etiam inesse non omnino negauerim[2].

Verba cum pronomine coniuncta. — *Se colligere,* 89, 6; 72, 6; 77, 17; 73, 18; 100, 23; 100, 16; *se* uexare, 49, 9; *se facere,* 89, 3; *se aperire,* 37, 5; 37, 8; *se tendere,* 100, 21; *se dirigere,* 99, 9; ad summum duodecim exempla.

Saepius uero *se* postponitur. *Resumere se,* 94, 11; 76, 8; *colligere se,* 73, 11; 78, 8; 84, 17; 85, 22; *recipere se,* 74, 9; 76, 5; *reponere se,* 74, 15; *facere se,* 78, 22; *leuare se,* 72, 14; *tendunt se,* 58, 3; *mouere se,* 59, 17; *leuare se,* 83, 28; *uadent se,* 76, 5-6; quibuscum ultimis formis hispanicae *moverse, levarse, vanse* aptissime congruerent : sed in italica quoque lingua pronomen *se* esse postpositum memineris uelim[3].

De uerborum rectione. — Pauca in ea re adnotatione digna esse uisa sunt.

Benedicere cum accusatiuo : 60, 3; 72, 27; 64, 12; 75, 6; 51, 28. Sed id frequens apud ecclesiasticos, qui dicuntur, scriptores[4]. Cf. apud Valerium : *benedixerunt Dominum,*

1. De quo consule E. Gorra, *Lingua e lett. spagn.*, p. 152.

2. Constat *tener* in hodiernis ibericae paeninsulae linguis idem ac fr.-gall. *avoir* significare : idem in nonnullis prouincialibus hodiernis dialectis.

3. Adde quod iam Wölfflin animaduertit *impersonalia* pro *passiuis*, quod romanum usum praenuntiat, aliquando esse posita. De quo consule A. L. L. IV, *l. s.*

4. Cum accusatiuo dum de *rebus*, cum datiuo dum de *personis* agitur, adnotat Bonnet apud Gregorium. *Op. laud.*, 534, n. 3. Ap. Apulejum, teste

P. L., 87, 453 A; *benedixit puerum, benedixit oleum, ibid.* B; *benedicens Deum, ibid.* B.

Fallere super aliquam rem, 54, 23. Cf. supra p. 75.

Mereri in : dignati sunt me suscipere et alloqui, in quo ego non merebar, 66, 14.

Haec denique exempla in medium uocare liceat, quae uerborum iunctionem iam a ueteribus scriptoribus usurpatam commemorent (*redolere antiquitatem,* uerbi gratia) : *per mansiones quas ueneramus,* 69, 4; *loca quae ambulauerunt,* 50, 15; *per iter quod ierant,* 46, 13. Cf. (uia) *quam incederit, ambulet in ea,* Valer., *P. L.*, 87, 430 B : *uiam incedere, ibid.*[1].

CVM QVIBVS CONIVNCTIONIBVS VERBA DICENDI CONSTRVANTVR.

Quod. — Apud ueteres scriptores, si Draegerio credas, *scio quod* iam occurrit. Qui post auream aetatem scripserunt cum magis ac magis in hunc soloecismum cecidissent, communis hic usus factus est et in romanis linguis superest. Etheria uero non tam simplex *quod* quam compositam formam *eo quod* uerbis dicendi aut sentiendi postposuit. Ad summum enim duo exempla simplicis formae *quod* occurrunt : *uidit quod dimiserant,* 49, 13; *inuenitur quod ea dies sit,* 100, 11. *Eo quod* sexies : 48, 27; 58, 8; 64, 13; *rettulit eo quod,* 49, 12; 63, 31; alio denique loco *eo quod* etiam cum infinitiuo constructum inuenias. Legitur enim (66, 6) : « sed quia audieram eos *eo quod* extra diem paschae et extra diem hanc, non eos descendere de locis

Georges, *Lat. deutsches Wörterbuch*, s. u. Ap. Anton. Placent. cf. Bellanger, *op. laud.*, p. 122. Utrum ex hebraica lingua, ut asserit Bellanger, hanc constructionem mutuauerint scriptores, alii uiderint : sed ipse illud Petronianum : *maledicere Trimalchionem* in medium protulit (p. 122).

1. Cf. omnia exempla ap. Bechtel, *op. laud.*, p. 107, v.

suis. » Quae menda facillime explanatur, si admittas Etheriam in mente habuisse *audieram* cum *eo quod* construere, et simul communem constructionem cum infinitiuo cogitauisse.

Rarum *eo quod* apud Valerium : *dicens eo quod*, *P. L.*, 87, 456 B.; cf. *Missale Mixtum*, *P. L.*, 85, 881 ; rarum quoque apud Fredegarium[1] ; apud Gregorium *eo quod* post uerba dicendi omnino desideratur[2].

Iam uero et *quia* post uerba *dicendi* et *declarandi* pro infinitiuo ponitur. Hanc particulam apud « Patres », qui dicuntur, latinos, frequenter occurrere adnotat Draeger[3]. *Dicentibus quia*, 92, 8 ; *dictum est quia*, 55, 8 ; *scire quia*, 40, 28[4] ; 66, 31 ; 71, 12 ; *ostenditur quia*, 89, 16 ; *credidit ei quia esset*, 62, 16 ; *credere quia*, 62, 16.

Quoniam post uerba *dicendi* quinquies : *scire quoniam*, 98, 4 ; *testari quoniam*, 67, 8 ; *credere quoniam*, 60, 20 ; *quoniam* ,48, 22 ; *dicere quoniam*, 54, 25[5].

Quare hoc uno loco : arguet *(arguit)* Thomam *quare* incredulus fuisset, 92, 26.

Iubeo cum *ut* : iusserat *ut fierent*. Perrarum apud Ciceronem.

Ne post *promittere* : tu promiseras *ne*... ingrederetur, 63, 1.

Quod ad *modum* attinet, constat ex tabula a docto uiro Bechtel confecta indicatiuum *quinquies*[6], coniunctiuum *quindecies* usurpari[7].

1. Haag, *op. laud.*, § 145, 2, in fine.

2. « Grégoire n'a pas cette étrange faute. » (Bonnet, *op. laud.*, p. 660, n. 5.) Qui usus quantum apud Prosperum Aquitanicum sese effuderit e confusis inanibusque obseruationibus quas Valentin de huius scriptoris lingua scripsit (Saint Prosper d'Aquitaine, p. 512, 513) uix conspicere licet.

3. *Historische Syntax*, II, 232. Cf. *scio quia Satanas es*, Valer., *P. L.*, 87, 450 A ; *dictum est quia* (Valer. ?). *Vita Fructuosi*, *P. L.*, 87, 464 B ; *scriptum est quia*, *ibid.*, 461 B ; *scire quia*, *scire quod*, *ibid.*, 87, 468 D. Frequens ap. Theodosium, cf. *Itin. Hierosol.*, Indices, p. 451. Apud Fredegarium unum exemplum ipse adnotaui : *fari quia*, 89, 9 ; cf. *Rev. Phil. fr.*, 1900, p. 165.

4. *Quia* pro *qui* hoc loco esse legendum mihi non dubium.

5. Perraro illum soloecismum Gregorium admittere testis est Max Bonnet, *op. laud.*, p. 660.

6. Rectius sexies, incluso loco 40, 28 *(scire quia)*.

7. Sedecies, *arguet quare* incluso.

Quibus exemplis collectis, duo tantum animaduertenda : primum *infinitiuum* post *uerba declarandi* non rarum esse, alterum *quomodo* et *quam* post eadem deesse[1].

De usu coniunctiui. — Cum adhuc tot et tantas mendas contra rectam scribendi consuetudinem obseruauerimus, nil mirum in coniunctiuo usurpando quoque negligentioris scribendi rationis nouum signum apparere. De quo paucis nobis disserere liceat quippe quod ad linguas romanas informandas parum spectet. Satis sit in unum congerere quod ex exemplis a docto uiro Bechtel collectis constat. Non raro igitur duos modos, coniunctiuum indicatiuumque, confusos inuenias, siue in quaestionibus obliquis, siue in propositionibus causam consequentiamue indicantibus : quod nulla certa constantique ratione admissa effectum esse uidetur[2].

Id unum excipere uelim, id est speciem quandam coniunctiui praeteriti, quae post uarias coniunctiones occurrere uidetur. Quem insolentem usum cum doctissimus uir Bonnet apud Gregorium animaduertisset, haec scripsit : « Dans les propositions temporelles, le parfait du subjonctif après *cum* apparaît quelquefois et d'une manière assez surprenante[3]. » Quattuor tantum exempla loco significato producta sunt ; quaedam alia, sed non multa, in notulis. Ex quibus apparet quam rara sit haec mira constructio. Nulla a doctissimo uiro Gœlzer adnotata sunt exempla, neque apud Hieronymum, neque apud Sulpicium Seuerum. Etheria contra ea constructione tam frequenter usa est ut fastidio quodam nos legentes afficiat.

Exempla primum commemoremus.

1. Quanquam antiquitus *como* et *ca*, a *quomodo*, *quam* derivata in hispanica et lusitana lingua usurpabantur (Meyer-Lübke, *Gram. des L. Rom.*, III, § 580) ; sed id quoque, quod ad *quomodo* attinet, in ceteris romanis linguis euenit. (Meyer-Lübke, *ibid.*)

2. De singulis exemplis consulas uelim Bechtel, *op. dict.*, p. 115, 116, 117.

3. Bonnet, *op. laud.*, p. 684.

Cum. — *Cum peruentum fuerit... dicitur* (duodecies); *cum coeperit...* deducunt (octies); *cum uenerit...* celebrantur, adtenduntur, (ter) 78, 1; 100, 15; 82, 8. *Cum factum fuerit*, 93, 22; *cum facta fuerit...* ducitur, 84, 22; 79, 16. Cf. quoque 83, 4: *cum celebrata fuerint...* mittet (mittit)... et dicit. Cf. 67, 15; 90, 22; 98, 13; 96, 22; 88, 10.

Cum *at ubi* eadem forma decies[1] occurrit : *at ubi uentum fuerit...* incipit, 87, 13. Cf. 89, 3; 88, 23; 90, 1; 76, 8; 75, 5; 72, 20; 81, 26; 85, 15; 85, 4. Cum *ubi* nouem exempla.

Item cum *posteaquam*[2] : *posteaquam missa facta fuerit*, 85, 10. Cf. 98, 30; 91, 30; 84, 27.

Alia quoque exempla adhibeamus : *post* aliquando pro *postquam* esse positum admittit Paulus Geyer et ei plane adsentiendum[3] : *post uenerint* autem dies paschae, mox fit oratio, 99, 1.

Iam uero cum fere quaque coniunctione, omni elegantiae cura remota, idem euenit. *Mox missa facta fuerit...*

1. Septem tantum exempla apud Bechtel, p. 121.

2. Vnum tantum exemplum cum *postquam* apud Gregorium Turonensem Max Bonnet adnotauit : « Ordinairement *postquam* est construit comme à l'époque classique. » (*Op. laud.*, p. 684, n. 4.) Apud Draegerium nullam mentionem coniunctionis *posteaquam* cum coniunctiuo inueni.

3. Altero uero exemplo quod Paul Geyer in medium uocat (*Itin. Hieros.*, p. 411[a]) nihil probari mihi uidetur ; hic est enim locus : *et post dixit : Domine Iesu, tu promiseras nobis*, 63, 1. Cui loco neglegentiae inesse indicium confitendum, sed cuiuis patet *post* uim aduerbii *deinde* potius quam coniunctionis *postquam* tenere. Eius modi exempla praebent exordia usus, quo, in romanis linguis *post*, locali sensu amisso, temporalem admisit : exempli gratia, fr.-gall. *puis il dit*).

Vt omnia de *posteaquam* hoc loco scribamus, addendum *posteaquam* cum coniunctiuo plus quam perfecti semel (60, 16), cum indicatiuo plus quam perfecti semel quoque reperiri : *posteaquam fregerat*, 40, 25. Ex quibus exemplis posterius tantum rectam constructionem commemorat.

Vt denique de hac coniunctione nihil praetermittatur, illud est obseruandum, *postquam* comparationem quodam modo significare, ita ut apud ueteres scriptores uocabulum saepissime separatim scriptum occurrat. Cf. Draeger, *Histor. Syntax*, II, 590. Item apud Etheriam : *post biduo quam ibi feceram*, 68, 4; cf. paruo *post* tempore *quam*, Idat., *Chr.*, ad annum 450.

97, 14 [1]; *Mox* autem primus pullus *cantauerit*, statim descendet, 73, 20 (= *descendit*). Cf. 80, 15.

Statim ut [2] : *statim ut manducauerint*, 86, 5 (sed *statim ut haec audiui*, 56, 23).

Postmodum cum missa ecclesiae facta fuerit, 76, 25.

Quemadmodum [3] *intratum fuerit*, 79, 28. Ad summun quattuor exempla.

Quod : quod manducauerint, 80, 24; *ad quod lectus fuerit*, 87, 3.

Quando parui fuerint, 97, 25: 100, 25. Cf. celebrantur ab ea hora, *qua* de Sion *uentum fuerit*, 97, 27.

Si : si uenerit proceditur, 97, 10: 64, 29; 97, 2. *Excepto si euenerit, ieiunatur*, 97, 7.

Ad quod lectus fuerit..., 87, 3; *in quo ingressus fuerit*, 84, 23.

Hos locos nunc attentius inspicientem te non fugit coniunctiui quidem speciem uerba habere, sed ea re uera in *futuro exacto* esse posita: quod doctissimi uiri Wölfflin et P. Geyer iam sagaciter animaduerterunt. Equidem non nescio temporale *cum* aliquando coniunctiuum [4] — apud barbaros, ut ita dicam, scriptores — regere. Sed quam raro id fiat facile ex exemplis a Draegerio [5] collectis perspicies.

1. Hoc loco aliter ac P. Geyer interpungere uelim : *mox missa facta fuerit*, [P. Geyer hic punctum inseruit] *et statim ponitur cathedra... et sedent omnes.*

Quod ad *mox* solum usurpatum, cf. P. Geyer in *A. L. L.*, IV, 615. *Mox ut* cum coniunctiuo (?), *mox* quoque solum ibidem. Cf. W. Hartel. *A. L. L.*, III, 26.

De *mox* confer etiam *A. L. L.*, VI, 267, ubi Petschenig commemorat hanc coniunctionem apud Iuuencum (vi° saeculo post Christum) *simulatque* significare, *ter* cum *perfecto praeteriti*, semel cum *futuro exacto*. *Mox ut uidit*, Valer., *P. L.*, 87, 464 A. *Mox iterum* [*cum*] *reuersus fueris*, *ibid.*, 433 A. *Mox dum iterum reuersus fueris*, *ibid.* (in duobus quidem codicibus).

2. *Statim ut egressus sum*, Valer., *P. L.*, 87, 431 C; *statimque ut immolauit*, *ibid.*, 452 C.

3. De usu huius coniunctionis apud Marcellum Empiricum disseruit P. Geyer, *A. L. L.*, VIII, 478 et ibidem animaduertit hunc usum Etheriae et Marcello Empirico esse communem.

4. Cf. exempli gratia ap. Fredegarium : *cum rex eis non placeat*, *interficetur* (= *itur*), 105, 30. Haag, § 135.

5. *Hist. Syntax*, II, 574. Nil impedit quin in locis a doctissimo uiro Bonnet productis et *fut. exact.* agnoscamus.

Quid nunc de supra commemoratis exemplis senties, si tibi in mentem uenerit in hispanica lusitanaque lingua formas a latino *futuro exacto* deriuatas adhuc exstare? Nonne in hoc usu graue hispanicae latinitatis indicium agnoscendum? Equidem agnoscere uelim. De re cum iam Diez et Delius[1] scripsissent, — quorum prior *futurum exactum*, alter uero *coniunctiuum praeteriti* admittebat, — optime doctus uir Foth iterum disseruit[2]. Ex cuius disquisitionibus constat, iam in antiqua hispanica lingua primam singularis personam in *o*, perraro in *e* terminari. In dacica contra lingua, in qua idem tempus superstes est, cum prima singularis persona in *im* terminetur (*calcarim* = *calcauerim*) necesse est admittas ex coniunctiuo praeteriti hoc tempus esse informatum[3].

1. Delius, *Jahrb.*, IX, 220; Diez, *Gramm. der rom. Spr.*, II, 172, 268; III, 331.

2. Foth, *Die Verschiebung lat. Tempora in den rom. Spr.*, in *Rom. Studien*, Heft VIII, p. 280. « Das romanische Tempus führt auf das *lat. fut. exact.* zurück ».

3. Cf. Meyer-Lübke, *Gram. des L. Rom.*, II, § 310: « *le futur antérieur latin* ». « Im Mittellatein der Gebrauch keines Tempus weiter um sich gegriffen hat als der gerade des in Rede stehenden. » (Foth, *loc. laud.*, p. 283.)

Ex hispanicis exemplis haec excerpamus: *Io mientro fuero vivo, fare vuestro mandado*, Gonz. de Berceo, *Milac.*, 567; *que me salva la alma, quando fuero transido*, id., S. Doming , 758; Foth, p. 283.

CAPVT V

De Vsu aliquarum Coniunctionum.

Quando, qua. — Wölfflin iam animaduertit coniunctionem *quando* satis frequenter usurpari multis locis quibus *quod* uel *cum* expectes. In *Indicibus* editionis locos notauit P. Geyer ubi *quando* francogallice *lorsque* significat, 42, 23; 43, 13; 67, 10; 100, 1: ubi cum *indicatiuo perfecti* construitur.

Aliquando cum *indicatiuo imperfecti* adstruitur, exempli gratia, 100, 8; 92, 6; cum *indicatiuo plus quam perfecti*, 51, 8; 50, 14.

A qua coniunctione altera, eadem prioris simillima, non segreganda est, id est *qua* pro *quando* scriptum. Locos produxit P. Geyer, in *Indicibus*, sub uerbo: exempli gratia *locus, ubi fuit sanctus Helyas... qua fugit*, 41, 14; cf. 46, 22; 80, 3; 92, 7; 94, 6. Quod uocabulum si semel tantum occurreret, ex librarii errore id esse ortum haud difficile admitteres; quippe cum facillime ultima cuiusuis uerbi pars dum transcribatur euanescat. Nunc autem cum hi loci frequentiores sint, non menda sane admittenda, sed ueri similior est quaerenda explanatio. Sequentia autem exempla si obseruaueris: *in ea hora qua auerterant*, 63, 18; *ea die qua*, 64, 13, unde ille usus ortus sit perspicies. Cf. *his diebus qua*, 43, 23; 55, 8; *in mane sabbato, qua oblatio fit*, 81, 15; *tunc qua*, 97, 19; *temporibus Achab... qua famis fuit*, 59, 5.

Vtramque denique coniunctionem eodem loco usurpatam inuenimus: *quando... unus... non erat, qua* (i. e. *quando*) *reuersus est*, 92, 7.

Nunc commemorare liceat in antiquissima hispanica lingua formam *ca*, nunc *cuan*, occurrere, et eandem a nulla alia forma quam *qua* deriuari posse; ut enim ex *quem quien*, sic ex *quam cuan* factum est: *ca* uero ad *qua*[1] referendum[2].

De ceteris temporalibus coniunctionibus. Antequam[3] satis raro, *anteaquam* nunquam usurpatur; *priusquam* semel, 49, 13; *posteaquam* contra saepius.

Donec, septies (semel cum indicatiuo, sexies cum coniunctiuo).

Postmodum uulgo aduerbii uicibus fungitur, aliquando tamen, uocabulis *cum, quando* adfixis in coniunctionum numerum transiit: *postmodum cum* missa facta fuerit, 76, 25[4] (quod ad *temporis* usum attinet, cf. supra); *postmodum quam* hii fontes eruperunt, 64, 3.

Quousque donec significat hoc loco: feci septimanam *quousque* ea pararentur, 69, 6. Cum coniunctiuo quoque apud Valerium: *quousque rediret, P. L.*, 87, 434 B; *quousque peruenirem*, ibid., 434 C: cf. 457 A. *Quousque reperiret, Vit. Fructuos.* (Valerius?), *P. L.*, 87, 464 B.

Quamdiu semel, cum indicatiuo, 49, 27. *Statim ut*, cf. supra: *ubi, at ubi, ibid.*

1. E. Gorra: *qua, ca,* ex *quam, Lingua e lett. spagn.*, p. 174; Menéndez Pidal, *Manual elemental de gram. hist. esp.*, p. 213: *ca* = *quare*. Sed rectius Meyer-Lübke. « Nous trouvons l'a. espagnol *ca* et le roumain *că*, formes dans lesquelles le mieux est de voir le latin *qua*. » (Meyer-Lübke, *Gram. des L. Rom.*, I, § 549, in fine.)

2. Vt omnia de *quando* temporali hic scribamus, adnotandum, post Paulum Geyer, hanc coniunctionem temporalem sensum specie amisisse et causam indicare hoc loco: consuetudo est ut fiat hic oratio... *quando* de eo loco primitus uidetur mons Dei, 37, 12. Cum certum sit *montem Dei* apparere (Cf. initium libelli, eadem pag. 37), hic cum Paulo Geyer forsitan sit admittendum *quando* causam significare cur sacrificium fiat. Nil tamen impedit quin *quando* hic quoque temporalem sensum seruet.

3. Semper cum coniunctiuo, Bechtel, p. 122.

4. Deest ap Bechtel, p. 121.

Quotiens, quotienscumque, semel cum indicatiuo. Cf. Bechtel, p. 123.

Iam ut pro *dum* ponitur : *iam ut exiremus*, 40, 9; *iam ut fiat*, 81, 27; *et iam ut dimittatur*, 44, 8.

Vbicumque aliquando coniunctionis temporalis locum obtinet. Cf. Bechtel, p. 123.

Licet, quamlibet, quamuis. Quanquam apud Etheriam omnino desideratur. *Licet et tectum*[1] *non sit* legitur 41, 29; quod ne facilius existimes in *licet tectum* mutandum, menda quae dittographia dicitur admissa, satis sit commemorare alterum exemplum : *licet tamen adhuc fructus afferat*, 48, 30: utroque loco iterum apparet propensio Etheriae ad particulas multas pro una ponendas ; id autem plebeio sermoni esse proprium satis compertum.

Quamlibet perrarum : *quamlibet sero sit*, 84, 10.

Ab his coniunctionibus non eas segregandas existimo quae *restrictives* dicuntur : uelut *tantum quod, tantummodo quod*, 81, 20; 83, 22; 96, 6.

Quantum, in quantum recte ab Etheria ponuntur : *quantum* potuimus estimare, 37, 17; *in quantum* poterat oculis conspici, 54, 12.

Quemadmodum, quomodo. — Prior harum coniunctionum duos sensus uarios admittit. Cum *quemadmodum* indicat quomodo quis rem agat, nihil huic usui inest quod a recta scribendi consuetudine abhorreat. Itaque qui temporibus Ciceronianis scripserunt non aliter ac Etheria has sententias exprimere potuerunt : *quemadmodum fiat infra annotabimus*, 75, 14. Multo insolentior est usus his locis : ostenderunt *quemadmodum* abitationes abuerant, 43, 26 : dixit nomen arboris, *quemadmodum* appellant eum graece, 49; 3 : quibus exemplis grauem inesse soloecismum nemo est quin uideat. Iam uero quid dicam de his locis ubi *quemadmodum* pro temporali coniunctione positum? Cuius

1. Cf. *Licet et* (cum coniunctiuo), ap. Apring., p. 5.

usus exempla cum P. Geyer in unum accuratissime congesserit[1] nonnulla tantum excerpere mihi satis uidetur : *quemadmodum ibamus,* de contra uidebamus, 43, 20 ; *quemadmodum uenimus,* demonstrabant, 43, 8 ; ad totum nouem exempla.

Quod ad *quomodo* spectat, usus huius coniunctionis ab usu recto satis abhorret ; uerbis enim *stare, posse*, adiunctis, formula quaedam informata est, cuius haec sunt exempla : *omnes quomodo stant,* 75, 7 ; *quisque quomodo stat,* 72, 23 ; *unusquisque quomodo potest,* 94, 13 ; *qui quomodo possunt,* 96, 9. *Quomodo* temporale non apparet ; at contra apud Marcellum Empiricum[2] uidemus quomodo haec coniunctio ex modali sensu in temporalem transierit.

Quoniam raro solum occurrit, nisi, at falso, post uerba declarandi (cf. supra). Quae coniunctio causam significans cum *propterea* eo modo coniungitur : *propterea quoniam* (bis) ; quacum uerborum coniunctione illam conferas uelim : *propterea quia* (quinquies).

Ac si pro tanquam ponitur quater ; idem apud Gregorium fieri adnotauit Max Bonnet[3] et commemorauit Paulus Geyer[4]. Post *ita* bis usurpatur : *ita... ac si,* post *tantus* semel. Cf. apud Valerium : ita solis ardoribus refrigerat membra, *ac sic* antra tegunt. *P. L.*, 87, 455 A.

Ac sic, ac sic ergo, hae sunt formulae quae aut perraro aut nunquam ab iis qui recte scripserunt usurpatae sunt. Etheria contra iis usque ad fastidium utitur. Quas ad originem scriptoris indagandam magni esse momenti facile forsitan credas.

Antea enim, dum Etheria gallica habebatur et nominabatur Siluia, docti uiri in formula *ac sic* frequenter usurpata quasi indicium gallicae latinitatis agnouerunt. Equidem

1. *Itin. Hieros*, p. 412[b].
2. P. Geyer, *A. L. L.*, VIII, 478.
3. Bonnet, *op. laud.*, p. 323.
4. *Itin. Hieros.*, p. 392[a].

non negauerim ex *ac sic* francogallicum *ainsi* — aduena littera *n*, ut fit in aliis uocibus, admissa — deriuari posse. Sed prouincialem quoque formam *aisi* ad hunc quasi substratum referendum simul atque hispanicum (uetus) *assi* mecum facile existimes. Verisimile esse uidetur hanc formulam tam crebro usurpatam quandam peculiarem loquendi consuetudinem Etheriae significare.

Desideratur apud Gregorium; apud Hilarium Pictauicum aliqua exempla animaduerti, 27, 26; 871,10[1].

Ac sic scribit, ap. Apringium, p. 6; *sicque*, Valer., *P. L.*, 87, 429 C; *sicque*, Fructuos., *P. L.*, 87, 1109 B.

De particulis disiunctiuis uel negatiuis. — Iam diu admonuerunt grammatici particulas *uel, siue,* pro *et* primis post Christum saeculis esse positas. Quam saepe idem apud Gregorium fiat in lucem protulit Max Bonnet, cum haec scriberet[2] : « Enfin, les conjonctions copulatives ont fait une autre recrue très importante, c'est *uel* qui a dépouillé souvent tout caractère disjonctif... On en peut dire de *siue* à peu près autant que de *uel.* »

Sub hoc uerbo adnotauit P. Geyer id fere idem quod *et* significare et huius usus multa exempla attulit. Idem fit apud ceteros eiusdem temporis scriptores a quauis regione oriundos. Sic apud Cassianum non solum *uel* idem quod *et* significat, sed etiam *uel... uel* pro *et... et* ponitur; apud Paulinum Petricordiensem *uel* = *et*, *uel... uel* = *et... et*, III, 21 sq. Cf. Mar. Victor., I, 2 (*aut* quoque pro *et*, *ibid.*, III, 180); Sulp. Seu., *uel... uel* = *et... et*, I, 45, 4; 53, 4. Ap. Ennodium, *uel* = *et* saepissime, 19, 9; 25, 17, etc.[3].

Apud Valerium : *reliquit uxorem et filios uel omnia quae habebat*, Valer., *P. L.*, 87, 454 B. Ap. Idat. *matres quoque*

1. Ed. Zingerle, t. I.
2. *Op. laud.*, p. 315.
3. Quem usum dum apud Orientium animaduertit doctus uir Bellanger haec addit : « *Vel* est réduit à la valeur de *et*, ce qui peut être considéré comme un indice en faveur de l'origine gauloise de l'ouvrage. » Orientius, p. 151. Sed id falsum; cf. Bellanger, *Anton. Placent.*, p. 113.

necatis uel coctis per se natorum suorum sint pastae corporibus, *P. L.*, 74, 710. *Romano imperio uel nomine*, Idat., *Chr.*, ad annum 461.

In negationibus usurpandis a recta consuetudine abhorrere Etheriam non mirum. *Nec* pro *non* ponitur, 39, 38, et pass., aut etiam pro *ne... quidem* scribitur : *nec fruticem habeat*, 40, 12 ; 63, 22, etc.

Idem fit ap. Orientium, II, 320 ; ap. Marium Victorem, I, 459 ; II, 301 ; III, 289, 519 ; saepissime tandem ap. Ennodium.

Formulis *nec non et*, *nec non etiam*, *nec non etiam et* abutitur Siluia. Qui usus quam sit frequens apud scriptores temporis illius cum diligentissime perscrutatus sit doctus uir Kübler[1] et idem multa exempla collegerit, de eo liceat breuius disserere. Apud Ennodium ipse adnotaui *nec non et*, 354, 3 ; ap. Eugipp., *Vit. Seu.*, I, 12, 4, 9.

De copula et. — Copula *et* cum uices aduerbii *etiam* tenet, quod cum recta consuetudine congruit, tum cum aduerbiis coniungitur ; quod fit tam frequenter ut in eo proprium nostrae usum agnoscere uelim. Verborum coniunctiones *nam et*, *sicut et*, *quemadmodum et*, *licet et*, raro aut fere nunquam apud ceteros eiusdem temporis scriptores occurrunt. Apud Ennodium tamen legitur, 116, 1 : *non solum sed et ; sed et* quoque ap. Apringium, p. 27.

1. *A. L. L.*, VIII, 181.

PARS TERTIA

De Vocabulis.

Hanc ultimam partem in tres distribuere opportunum uisum est. In primam congessimus graeca uocabula quae quoquo modo adnotatione digna uidentur.

In secunda collegimus latina uocabula quae ecclesiasticae, quae dicitur, latinitati propria esse uisa sunt.

In tertia denique in unum coniecimus latina uocabula ab Etheria uel primum, uel alio sensu ac prius usurpata[1].

I. Vocabvla graeca[2].

Absida. — De uoce supra, p. 29, dictum est.

Archiotepa, 62, 11. Cf. supra, p. 28.

Basilica, 75, 2, etc. De uoce optime disseruit P. Geyer, *Itin. Hieros.,* p. 335. Vox in hodiernis dacicis et italis dialectis superest. In ceteris romanis linguis « docta » tantum forma exstat. Cf. *baselica* = église, in *Recueil de Chartes de Silos,* p. 1 (anno 919).

1. De uocabulis hebraeis pauca scribenda. *Manna,* 44, 11, indeclinabile esse uidetur. Ap. Auitum plurale inuenimus : *candentia manna,* V, 456. *Niualis manna* ap. Cypr. Gall., *Iesus Naue,* 52 et pass. *Sabbatum,* non *dies Sabbatum* (prou. *dissáte*) uelut ap. Cassianum, *Inst.,* III, 10.

2. Meras transcriptiones omisimus.

Catecuminus, 71, 25; 97, 19. Gr. κατηχούμενος. Exempla uocis ap. Hieronymum, cf. Goelzer, *Lat. de saint Jérôme,* p. 207. *Catecumeni,* Auit., 171, 20.

Diaconissa, 61, 27. Hier., *Epist.*, 51, 2. At Auitus: *uiduarum quas diaconas uocitant,*, 170, 17. *Diacona* ap. Venant., *Vit. s. Radeg.*, 12.

Enceniae, 101, 1: gr. ἐγκαίνια, ων. *Enceniae,* gen. sing. ap. Marcellin., in *Chr.*, ad annum 423, ap. Forcellini de Vit.

Eulogiae, arum: idem quod *donum,* uel potius *cibus benedictus,* saepissime, 40, 19; 68, 22, etc. Legitur ap. Migne, *P. L.*, 74, c. 443, in *Onomasticon rerum et uerborum difficiliorum:* « Vocantur... *eulogiae* cibaria benedictionis gratia transmissa. Post missas alicui eas dare uel transmittere erat signum communionis et charitatis. » Cf. in *Lib. Ord.*, not. ad col. 75. Vox crebro occurrit apud ecclesiasticos scriptores. Cf. ap. *Antonin. Placent.*, 185, 10: cf. Auit., 91, 8; cf. *Vit. sanct. Baethildis,* 498, 8 (in Fredegarii *Chronicis,* ed. Krusch); *cum exenio uel eulogiis, Vit. sanct. Radegundis,* 382, 11 *(ibid.).* Frequens in *Formulis Merouingicis,* cf. ed. Zeumer, p. 754. Multa alia exempla ap. Bonnet, *op. laud.*, p. 223, 4. Cf. *primus eulogiam accipiat,* Fructuos., *P. L.*, 87, 1109 B.

Exorcizare, gr. ἐξορκίζειν; prima exempla ap. Ulpian., Augustin., adnotat Georges, s. u.

Girus, 40, 29; 40, 14, etc. (terdecies). *In giro, per girum, per giro.* Frequens apud gallicos, qui dicuntur, scriptores, sed non rarum apud ceteros. *Per gyrum,* Auit., 97, 4; *in giro,* Formulae Turon., 158, 9 (ed. Zeumer); *ambulare in giro,* Form. Merou, 608, 29; *se tornare in giro, ibid.*, 630, 3; *turna te in giro, ibid.*, 691, 38. Cf. *per gyrum,* ap. Chiron., 290, 22.

Gyrus, non *orbis,* in *Versione Libri Sapienta* in Africa scripta adnotauit Thielmann, *A. L. L.*, VIII, 254.

In Hispania: *cuius gyri rotunditas* (de sole agitur), Valer., Migne, *P. L.*, 87, 436 B. Sed idem Valerius scripsit: *in circuitu,* 435 A, quod ap. Apringium, p. 27, iterum

occurrit. *In giro = environ* profert Bellanger, *Anton. Placent.*, 89, 3, at falso.

Girare, 43, 29; 62, 29. Cf. *girare muros*, *Itin. Burdig.*, 24, 11. *Gyrare*, Lucif. Calarit., 327, 5. *Gyratus*, Greg. Tur., 544, 11. Fredeg., 80, 25; 152, 20. Adde *pergirare*, 63, 7. Ap. Chir., 64, 30. Ap. eundem *circumgirare*.

Hebdomada, 96, 22; *-arum*, 78, 12. Cum *septimana* promiscue ponitur.

Hebdomadarius (hibrida), cf. supra, p. 50.

Heremus, gr. ἔρημος (ἡ). Frequens ap. Cassian. et semper feminini generis. *In desertis heremi*, *Miss. Mixt.*, Migne, *P. L.*, 85, 115. *In deserta heremi*, *ibid. Ad eremi deserta*, Valerius, *P. L.*, 87, 439 D; *ibid.*, 427 D. Cf. de una uilla *erema*, *Recueil de Chartes de Silos*, p. 33 (anno 1098); de *una uilla erma*, *ibid.*, p. 35. Attamen hisp. forma *yermo* ad *eremum* referenda. (Meyer-Lübke, *Gram. des L. Rom.*, I, 17.)

Laici (uiri), 71, 15, etc. Cf. Eugipp., *Vit. Seu.*, IV, 9 *(laici nobiles)*; Ennod., 434, 16. Formul. Marculf., 70, 19. Fructuos., *P. L.*, 87, 1104 C.

Licinicon, gr. λυχνικόν. Cf. supra. *Licini = candelae, lucernae cicindilia*, Isid. Hisp., *Lib. Gloss.*, *P. L.*, 83, 1357.

Martyrium, 61, 25, etc., *ecclesia*. Cf. *C. I. L.*, XIII, 2412 (ap. J. Pirson, *op. laud.*, p. 280). Cf. *Corp. Gloss. lat.*, VI, 682, martyrium = modicum oratorium. Cf. Migne, *P. L.*, 74, 463 (*Onomast. rer. diff.*).

Monazontes, 100, 19, etc., gr. μονάζων, monachus. Hanc uocem apud Cassianum tantum inueni.

Neophyti (neofiti), gr. νεόφυτος, 99, 7. Hieron., *Ep.*, 69, 9. Iam ap. Sanctum Paulum; cf. Bayard, *op. laud.*, p. 182.

Oloserica, 76, 13. Cf. supra, p. 8.

Prophetissa, ex gr. προφῆτις informatum. Ap. Cypr. Gall. *prophetis, in*.

Symbolum (simbolum) 97, 26, al., gr. σύμβολον « formule de l'acte de foi usitée au baptême », Bayard, *op. laud.*, p. XVI.

Siricus, 76, 12. Cf. supra, p. 8.

Siriste, gr. συριστί. Cf. supra, p. 43.

Thymatiara, gr. θυμιατήριον. Cf. supra, p. 8.

Typus, gr. τύπος, *in eo typo*, 84, 5. Idem quod *modus* : Apud Cassianum significat idem quod *exemplar*. *Sub typo Ecclesiae*, Apring., p. 16.

II. Vocabvla latina qvae ecclesiasticae lingvae svnt propria.

Altarium, 98, 16; 59, 28, etc. : *altare* desideratur. Idem ap. Auit., 171, 21 ; 146, 6; Cassian., *Contr. Nestor.*, VI, 10, 20. Quod ad ceteros ecclesiasticos scriptores attinet, cf. Gœlzer, *Lat. de saint Jérôme*, p. 282. Frequens in *Formulis Merouingicis*. Valerius utramque formam *altare*, *altarium* scripsit : *altarium*, *P. L.*, 87, 456 A, 456 B, 453 B, 453 C; *altare*, 455 D; *altarium*, *Vit. Fruct.* (Valer.?), 456 B; *altarium*, Eugen. Tolet., *P. L.*, 87, A. *Altaribus* ap. Idat., *Chr.*, ad annum 457. *Altarium* uidetur primum locum obtinuisse. *Altare* saepius quam altarium in *Libro Ordinum*, ed. Férotin, *Ind.*, p. 753. *Recueil de Chartes de Silos*, *altare*, p. 2, 3 (anno 919), *altarium*, p. 9 (anno 1041). Formae ab utraque latina forma deriuatae exstant nunc in hispanica lusitanaque lingua : *altar* ex *altare*, *otero*, *oteiro*, ex *altarium* : posterior uero in sensum alium transiit (francogall. *hauteur*, *élévation*).

Communicare, fr.-gall. *communier*, 40, 8; 85, 31, etc. Cf. *Anton. Plac.*, 168, 22. Quem sensum apud Cyprianum nondum exstare subnotauit Bayard, *op. laud.*, p. 194.

Competens absolute ponitur (96, 27) et a Paulo Geyer *candidatus baptismi* explicatur. Occurrit eodem sensu ap. Augustin., *De cura pro mortuis*, c. 12, auctore docto uiro Bechtel.

Dominica dies, 74, 17; 73, 10, etc. *Die dominica*, ap. Idat., *P. L.*, 74, 735-736. *Die dominica*, *Vit. Fructuos.*

(Valerius?), *P. L.*, 87, 465 A; eodem autem loco, tertia infra posita linea, legitur *dies dominicus :* ex *dominico* defluxit hisp. lusitan. *domingo :* in ceteris romanis linguis *dominica* quoque permansit. Cf. Körting, s. u.

Domnae, 70, 30, et pass. « *Domnus*, *domna*, titulus saepissime nominibus praepositus paulo ut uidetur honorificentior quam *dominus*, *domina*. » Hartel, s. u. *dominus*, *Ind. ad Ennod.*

Gentes, opponitur *christianis*, 66, 19, 21. Cf. quae de hoc uocabulo scripsit F. Cramer, in *A. L. L.*, VI, 344 « Was heisst's Leute. » *Gentes = pagani* ap. Cassian., *Conlat.*, XVIII, 5, 2-3. Legatos misit ad *gentes*, Idat., *Chr.*, ad annum 454. Simulacra *gentium* euertit, Idat., Migne, *P. L.*, 51, 912 : eadem columna : *templa gentilium*. Valerius, *P. L.*, 87, 477 C : *paganus*.

Lavacrum, 97, 6 (= *baptismus*). Frequens ap. ecclesiasticos scriptores; cf. *Ind.* ad *Lib. Ord.*, c. 775; cf. Orient., *H*, III, 89. Bis ap. Paulin. Petric. Sexies ap. Auit. (cf. ed. Peiper, *Ind.*), Cf. Fredegar., 124, 22; 141, 26.

Lucernaris, *lucernare*, 72, 6; 75, 11, etc. *Missa lucernaris*, 79, 20; *psalmi lucernares*, 72, 10. De hoc uocabulo notulam scripsit P. Geyer (*A. L. L.*, IX, 298) cuius sensus fere hic est : Siluia ex oris Rhodani oriunda esse uidetur, quippe quae Euphratem cum Rhodano conferat. Ex Gennadio autem didicimus Cassianum ad Rhodanum duo monasteria instituisse : hic autem scriptor unus his uerbis *hora lucernaris* utitur. Eodem loco adnotat P. Geyer *lucernaris* apud Isid. Hispal. (17, 9, 73) tantum occurrere. Quibus uerbis omnino repugnant quae doctus Férotin de eisdem uocabulis scripsit : « Le plus important [s. aud. *passage*] est peut-être celui où il est question de l'office du soir appelé *lucernaire*... Ce nom n'est pas inconnu en Occident en général; mais dans aucune église le *lucernarium* n'occupe le rang que lui assignent de nombreux passages de l'antique liturgie espagnole. Il en est déjà question, v. 400, dans les actes du premier concile de Tolède (canon IX), puis dans Saint Isidore, *Reg. Monach.*, c. VI;

dans le canon II du concile de Mérida; dans Saint Braulion de Saragosse, (*P. L.*, t. LXXX, c. 661-662), dans Etherius (*P. L.*, t. XCVI, c. 935, etc.). » Quod ad Cassianum spectat, ipse haud raras uoces uocibus nonnullis *Peregrinationis* similes in medium uocaui; nec mirum si memineris eum quasi magistrum monachorum sui temporis fuisse[1].

Memoria = monumentum, 37, 9; 44, 27, etc. Idem significat ap. Eugipp., *Vit. Seu.*, 3, 21; 66, 24. Id. quod *sepulcrum* ap. Gregor. Turon., 503, 20. Multa exempla ap. *Gromat. Vet.* Cf. denique quae de hac uoce scripsit doctus uir J. Pirson, *op. laud.*, p. 259.

Memoriale, 54, 15. Cf. Isid. Hisp., VIII, 26, 7 sqq.

Missa = dimissio, saepissime. Cf. quae Bellanger de hac uoce scripsit : *Anton. Placent.*, p. 64.

Ministerium significat saepe ap. Etheriam quae in ecclesia usui sunt : exempli gratia; ponderatio de ceriofalis uel cicindelis uel diuerso *ministerio*, 76, 16.

Mirabilia, i. q. miracula, 67, 29. Duo exempla ap. Hieronymum. Cf. *sanctorum mirabiliorum loca*, Valer., *Epist.*, in *Rev. Quest. hist.*, XXXVIII° anno, p. 381; *in mirabilibus et potentia conuersatus*, Apring., p. 10. *Mirabilia et uirtutes*, *Miss. Mixt.*, *P. L.*, 85, 129; cf. ibid., 124.

Monasterium = cellula, saepissime. Cf. P. Geyer, *Itin. Hieros.*, Ind. rer. Semel *stationem militum* significat : *monasteria sunt cum militibus et praepositis*, 47, 5.

Operatio = missa, 71, 10; 73, 8. Desideratur, hoc quidem sensu ap. Rönsch, *Ital. Vulg.*

Operari = baptizari, 57, 28.

Orationes, id est cellulae, in quibus oratur, 40, 16.

Quadragesimae, 84, 15, etc. *Quadragesimae* austeritas, Auit., 92, 14. Excepta una *quadragesima*, Fructuos., *P. L.*, 87, 1108 A.

1. Teste doctissimo uiro Ebert, erant Cassiani opera « ein wahres, bereits von dem heiligen Benedict empfohlenes Handbuch des Kloster und Eremitenlebens... » (*Allg. Gesch. der Litt. des Mittelalters*, I, p. 348). Eadem pagina appellatur Cassianus : *Lehrer des Mönchthums*.

Religiosus : uir uere religiosus et monachus, 62, 3; *religiosus ex monacho*, 49, 7. Cf. frater *religiosus*, Valer., *P. L.*, 87, 451 D. Quidam *religiosus*, Valer., *P. L.*, 87, 457 A. Id. quod monachus in *Lib. Ord.*, cf. *Ind.*, c. 789.

Saecularis (uir), 100, 22, id. quod *laicus*. Cf. *quidam saecularis*, Valer., *P. L.*, 87, 453 B.

Senior, 41, 28 : *Aaron cum septuaginta senioribus*, (= P. Diac., 120, 33). Cf. *septuaginta seniores*, ap. Hilar. Pictau. (ed. Zingerle), I, 9, 25. Ennod., *seniores domini*, 277, 18; cf. 98, 14. *Senior* quidam, Idat., *Chr.*, Migne, *P. L.*, 74, 722; *effectus apostata et senior inter Sueuos*, Idat., *Chr.*, Migne, *P. L.*, 74, 745-46. *Seniores*, id est patres, Apring., p. 28. Cf. custos librorum et *senior* scribarum, *Lib. Ord.*, 43, 13.

Tumba, 56, 10; cf. *A. L. L.*, VI, 135.

Tabernaculum, 44, 23, 25; *Stiftshütte* a Paulo Geyer uersum; franco-gall. *tabernacle*.

III. Vocabvla latina nova vel alio sensv ac privs ab Etheria vsvrpata[1].

Absoluere (mysteria) idem fere ac *narrare*, 99, 12. Cf. Georges, s. u. Absolute idem ac *finire ieiunium*, adnotat P. Geyer, in *Ind.* edit. De uoce fusius scripsit Plœn, *A. L. L.*, V, 540.

Adaquare = *aquam animalibus ministrare. Adaquari* in *Leg. Wisig.* 328, 10. Cf. *adaquare oues*, *Anton. Plac.*, 183, 22. Hieron., *adu. Heluid.*, 14 (ap. Gœlzer, *Lat. de saint Jérôme*, p. 179). Idem uerbum crebro ap. Chironem occurit et semper eodem sensu: uelut 7, 5; 75, 4; 105, 23, 27; 168, 24; 229, 14. Vox in omnes romanas linguas, franco-

1. In hac parte dicemus etiam de nonnullis uocabulis quae in linguis romanis informandis alicuius esse momenti existimauimus.

gallica excepta, transiit. Cf. Körting, *Lat. Rom. W.*, s. u. Mira uero sensus mutatione factum est ut prouinciales ea tum demum utantur cum de plantis arboribusue loquuntur. Cf. nunc *Thes. ling. lat.* sub uerbo.

Ager publicus = *agger*, p. 49, 28 : de quo scripsit P. Geyer, *Krit. Bem.*, p. 11. Id. in Vollmöller's *Jahresbericht*, V, p. 88 : ubi exempla e Sid. Apoll., Sulp. Seu. (*Dial.*, II, 3), Greg. Tur., inuenias. Cf. ap. Valer., *P. L.*, 87, 455 D : *trames, quae angustum reddit aggeris labyrinthum.*

Ambulare, terdecies occurrit.

Apparere, 37, 6. Frequentius *parere*.

Arenosus, 46, 3, 21. Superest in omnibus, excepta francogallica, romanis linguis. Iam ap. Sallust., cf. Gœlzer, *Lat. de saint Jérôme*, p. 121. *Arenosus coluber*, Ennod., ed. Hartel, 63, 22.

Auroclauus, 76, 13. Cf. Schol. ad Iuuen. (*auroclauas uestes miratur*) ap. Forcellini-de Vit, s. u. *Ibid.*, *auroclauatus*.

Auxilia praebere = *prosequi* : *solatium* uulgo usurpatur. In recensione libelli a Paulo Mohr scripti « Zu Apollinaris Sidonius », *A. L. L.*, III, 299, legitur : « *Auxilium* tritt zurück und wird teilweise durch *solatium* ersetzt. » Mirum quantum haec uox ap. Etheriam deest. Ap. Valer., *P. L.*, 87, 440 C, legitur : *adiutorium praebere* : cf. *solatium*, Valer., *P. L.*, 87, 455 B.

Campsare : cf. quae de hoc uerbo scripsit doctissimus uir Wölfflin, *A. L. L.*, IV, 266. Iam ap. Ennium, a doctissimo uiro Georges *umsegeln* uersum. Legitur quoque in *Libro Glossarum* Isidori Hispalensis, s. u. *campsat* = *flectit*. Verbum eodem sensu in italica lingua permansit, cf. Körting, s. u. In hispanica — et prouinciali lingua, quod doctum uirum Körting fugit — alterum sensum (*fatigare*) admisit.

Cancelli, 71, 27, 24, etc. Duas esse formas testatur Isidorus Hispalensis in *Lib. Gloss.*, *cancellae, cancelli*, s. u. *kai, kaii*. *Cancel, cancela* in hisp. lingua, teste Körting, s. u.

Caput uallis, 38, 1, 5, 14, etc. Cf. *caput agri,* in *Gromat. Vet.*, 355, 10.

Castrum, 47, 6; 46, 25, etc., sed *castra ponere, figere,* etc. Cf. P. Geyer, in *Ind.* edit. In hod. hisp. et ital. *castro* prius superest. Cf. Paulin. Petricor., V, 531; *Form. Andeg.*, 28, 10, 15; *Form. Senon.*, 211, 25; 212, 5. Ter ap. *Anton. Placent.*, cf. Bellanger, *op. laud.*, p. 59. *Vnum castrum,* Idat., *Chr.* ad annum 457; *Portucale castrum, ibid.*, ad annum 459.

Cereofalum, 73, 6; 76, 16. « Videtur esse candelabrum cereis instructum. Legitur in *Gestis* ap. *Zenophilum consularem* desumptis ex *Actis Munatii Felicis* quae spectant ad annum post Christum 303. » Forcellini-de Vit, s. u. *cereofalum*. Cf. *cereferale* ap. Gregor. Turon., Bonnet, *op. laud.*, p. 194, n. 7.

Cessare, 70, 26. De hoc uocabulo scripsit doctus uir Gœlzer (*op. laud.*, p. 274) quod ad Hieronymum attinet : « *Cessare* s'emploie dans le même sens que *desinere*. »

Cicindela, 76, 16. Cf. Forcellini-de Vit, s. u. Vox in italicis tantum hodiernis linguis superest. Animaduertendum ital. *cicindello, cesindello* ad *cicindellum* esse referendum. Legitur in *Libr. Gloss.* Isidori Hispalensis, s. u. *licisni : cicindilla.*

Ciuitas = urbs, saepissime. Cf. Idat., *Chr.* ad annum 451, *aliquantis ciuitatibus irruptis. Hispani per ciuitates et castella residui, ibid.*, ad annum 411; *plurimae ciuitates effractae, ibid.* ad annum 451.

Cochlea : non eos [montes] subis lente et lente, per girum, ut dicimus *in cocleas*, 39, 12. *In cocleam* ap. Cels. et alios scriptores.

Commanere, promiscue cum sequente *commorari* pro *habitare* ponitur, 53, 6; 53, 20; 40, 6. Duodecim exempla ap. Cassian.; cf. ed. Petschenig, *Indices*. Saepissime occurrit in *Form. Merouingicis*, in quibus *commorari* desideratur. De quo consulas uelim *A. L. L.*, VIII,, 448, ubi multa exempla ex cod. Theodosiano, ex Augustino, Martiali Capella, Victore Vitensi, afferuntur.

Commorari, 44, 20; 51, 15, etc. De est in *Indicibus* ad Cassian., ed. Petschenig. Contra *demorari* ap. nostram non occurrit. *Commorari* saepissime utitur Asinius Pollio, teste doctissimo uiro Wölfflin, *A. L. L.*, VI, 89. Cf. *commorari* ap. Valer., *P. L.* 87, 431 C : *cunctis commorantibus*, *Vit. Fructuos.* (Valerius?), *P. L.*, 87, 463 C. *Commoratio mundi*, Valer., *P. L.*, 87, 442 C. Nunc *commorar* in hisp. lingua exstare commemorare uelim (deest ap. Körting).

Competens = *aptus*. *Psalmus competens loco*, 56, 28; 68, 10. *Competens*, Fructuos., *P. L.*, 87, 1101 C; *competenter*, *ibid.*, 1101 B.

Confortare, 87, 17, 20. Fructuos., *P. L.*, 87, 1106 A; Apring., p. 18 (bis).

Corpus : in corpore esse, i. q. *uiuere*; 71, 4; 71, 8; 67, 30; *extra corpus esse*, 71, 8. Cf. ap. Fredegar. *conuersari in corpore*, 116, 26. Cf. ap. *Idat. e corpore recedere*, *Chr.*, Migne, *P. L.*, 74, 742-43; *in corpore manere*, *ibid.*, 701-702. *Migrare e corpore*, Valer., Migne, *P. L.*, 87, 433 C; *in corpore reuerti* (= *resurgere*), *ibid.*, 431 C; *egredi e corpore*, *ibid.* *Euocari a corpore*, S. Fructuos., *P. L.*, 87, 1099 D.

Corrigia, 43, 13; 42, 23. Cf. *Gromat. Vet.*, 321, 16. Iam ap. Hieron. teste doctissimo uiro Gœlzer (*op. laud.*, 90-91). Ex feminina forma deriuantur omnes romanae formae; cf. Körting, s. u. *Corrigium* ap. Isid. Hisp.; cf. Georges, *Lat. d. W.*

Coturnix, 44, 11. Cypr. Gall. *E.*, 616; *Num.*, 349; *D.*, 40. De etymologia uocis cf. Havet, *Mém. Soc. Ling.*, VI, 234. Cf. Stowasser, *A. L. L.*, VI, 562-563. Vox neque in francogallica neque in prouinciali lingua superfuit, at contra in ital. *codornice*, hisp. *codorniz*, port. *codorniz*. Cf. Körting, s. u. Adde catal. *codorníu*.

Deauratus, 88, 8. Cf. Hieron., *Ep.*, 48, 5; 130, 15. Quater ap. Gregor. Turon. (Cf. Kruschii *Indices*). *Deaurare* ante tertium post Christum saeculum apparere non uidetur. Bernhard Seiler libenter admisisset *deaurare*, ap. Minucium, 28, 7 (*De sermone Minuciano*, Gymn. Progr. Aug.

Vindel., 1893), ubi codices *decoratis* praebent. *Deauratus* legitur tandem in Charta in Asturia scripta, anno 912; cf. Gorra, *Lingua e lett. spagn.*, p. 179.

Decursus (aquae), 63, 17. Cf. *decursus fluminis*, Paulin. Petricor., VI, 374. *Decursus* aquarum, *Form. Andec.*, 5, 5. Cf. *riuulus decurrens*, Valer., *P. L.*, 87, 455 A. A poetis praecipue hoc sensu usurpatum. *Leg. Wisigot.*, 344, 17, 22.

Deducere, i. q. *comitari, prosequi*, 69, 3; 85, 10. Id. q. *dimittere, prosequi,* ap. Cassian., *Inst.*, V, 24: apud eundem *deductio: prosecutio.*

Deductores, 37, 10.

Deferre, 96, 30 *(obéir: si parentibus deferet)*. De quo uerbo consulas uelim notulam quam Gœlzer scripsit, *op. laud.*, p. 275: « *Deferre* a, dans le latin de la décadence, le sens que le français du XVIe et du XVIIe siècle donnait au verbe *déférer.* »

Definire, 85, 14 (*definiuit* quid ei darent); id. q. *statuere, constituere*, frequentissime ap. Cassianum apparet.

Deputare (*presbyter qui ecclesiae deputabatur*, 39, 29); cf. 77, 11, etc., eodem fere sensu quem Georges *(L. d. W.)*, s. u. adnotat: aliquid alicui destinare, addicere. Ap. Ant. Placent., 177, 23: s. u. in *Indicibus* scripsit P. Geyer: « stiften ». Sic apud Etheriam: *monasterium deputatum*, i. e. *fundatum*. Cf. hisp. *diputar*, destiner, désigner, marquer pour une fin, un usage.

Dignari, uicies sexies cum infinituo coniunctum. Frequens ap. Eugipp., *Vit. Seu.* Frequens quoque ap. Lucif. Calarit. Cf. Hartel, *Lucifer von Cagliari und sein Latein*, *A. L. L.*, III, 18. Frequentius uero ap. Alc. Auit., ed. Peiper, p. 331. Ap. Valer., *P. L.*, 87, 448 B; *ibid.*, 444 B; *fari dignatus est*, Eugen. Tolet., *P. L.*, 87, 412 A.

Dirigere (se), 99, 9 = *accedere, ingredi*. Saepe apud scriptores eiusdem aetatis *mittere* significat. Cf. Idat. *directo (misso) Marcellino, Chr.* ad annum 469; *in legatione dirigitur, ibid.; pars exercitus ad Gallaeciam directa, ibid.*, ad annum 460; *directa* (i. e. *dimissa*) *et coniuge quam habebat, ibid.*, ad annum 464; *legatos dirigit*, ad annum 467;

alii diriguntur ad Gothos, ibid.; epistolae per ecclesias diriguntur, ibid., ad annum 450. Frequentissime in passiuo ap. Auitum, cf. ed. Peiper, p. 331. Valer., *direxi eadem uia, P. L.*, 87, 433 C. *Direxit illi epistolam, Vit. Fructos.* (Valerius?), *P. L.*, 87, 461 B.

Ebriacus, 96, 30. Unum exemplum (ex Vulgat.) apud Georges, *L. d. W.* De uoce scripsit Groeber, *A. L. L.*, II, 276: «beinahe allgemein romanisch». «*Ebrius, ebriacus* existent côte à côte en roman.» Meyer-Lübke, *Gram. des L. Rom.*, II, § 409. Conferas uelim uarias formas ex romanis linguis excerptas quas Diez, *Gram. des L. Rom.*, I, 12, in medium produxit: « Ital. *ebriáco*, uet. hisp. *ebriágo*, prou. *ebriac*, francogall. *ebriat*.» *Ebriac* quoque in vasconica lingua: cf. A. Schneider, *Zur lautl. Entwicklung der Mundart von Bayonne*, p. 49. *Ebrius*, ap. Valer., *P. L.*, 87, 444 B; *ebriosus* (hisp. *ebrioso*), ap. Fructuos., *P. L.*, 87, 1107 A. De uoce silet Isidorus Hispalensis, qui differentiam inter *ebrius* et *ebriosus* explicat: *Lib. Diff.*, n° 205 (Migne); cf. n° 183.

Esca = cibus, 44, 7: 59, 6; 81, 8. Cf. *bonorum operum esca*, Apring., p. 24; escas, *Missale Mixtum, P. L.*, 87, 112. *Esca spiritualis, Lib. Ord.*, c. 306.

Fabrica, 76, 18; 48, 22; 56, 18: i. q. *aedificium*. Cf. Ennod., 14, 19. *Fabrica mundialis*, Cassian., *Conlat.*, 23, 3, 3; *Fabrica mundi*, id. *contra Nest.*, IV, 9, 4. *Templum breuis fabricae*, Valer., *P. L.*, 87, 452 B; *necdum perfecta constructionis fabrica, ibid.*, 443 A.

Facere (se): *se facit hora quinta*, 83, 20; *se mane facere*, 81, 26, etc. Cf. *A. L. L.*, IV, 262.

Facies: contra faciem, 50, 29. Cf. Sulp. Seu., *Dial.*, III, 11, 1, *facie ad faciem; fatie contra fatiem*, Apring., p. 13.

Fatigatus, 86, 28. *Lassus*, 86, 29.

Figere; castra figere, 47, 26; *figere morsum*, 88, 16; cf. *fossatum figere*, ap. Theodosium (VI° saeculo), *Itin. Hier.*, 149, 10.

Fonticulus, cf. supra, p. 49.

Graecolatinus, 99, 24. Deest in *Lex. lat.*

Grandis, pass. saepissime. Cf. de uerbo Wölfflin, *A. L. L.*, IV, p. 263. Frequenter usurpatum apud omnes illius temporis scriptores. *Non grandis insula Vit. Fructuos.* (Valerius?), *P. L.*, 87, 462 C. *Grandi excidio*, Idat., *Chr.*, ad annum 460; *cum ingenti exercitu ; magna captiuitas, ibid.* ad annum 466; *cum ingenti multitudine, ibid.*, ad annum 466.

Gustare, 42, 29 *(quia sero erat, gustauimus)*; 81, 10 *(gustare nec panem, nec oleum)*. Mirum quantum cum priore horum exemplorum sensus hodiernae prouincialis formae *gousta* aptissime congruit. Verbum enim *gousta* nihil aliud quam cenulam quae tertia quartaue post meridiem hora fieri solet indicat. (In aliis regionibus: *espertina*, *despertina* ex **uespertinare*.)

Apud Valerium: *gusta de hac aqua*, *P. L.*, 87, 432 B; *gustare*, Fructuos., *P. L.*, 87, 1102 B, D.

Hospitium, 76, 6. Sub uerbo P. Geyer, in *Ind.* editionis commemorat Bonnet, *op. laud.*, p. 290; Goelzer, *op. laud.*, p. 263; *A. L. L.*, VIII, 194. *Hospitium* uidetur idem quod *domus* significare *C. I. L.*, II, 5763. Cf. Valer., *P. L.*, 87, 443 C, 444 A, 448 A. Cf. Isid. Hisp., *Differentiarum Liber*, I, n° 160 : *inter domum et hospitium :* ubi Isidorus sensum abstractum uerbi explicat : *hospitium uocatur quum aliquem recipimus,* etc.

Incommoditas, 49, 1; idem fere quod morbus leuis : cf. Ennodius, 151, 11 (« Unpässlichkeit » ab editore uersum).

Incurrere, 100, 27, i. q. *admittere*. Cf. *ambitionis crimen incurrere* (semel ap. Hieronymum, teste Goelzerio), Hier., *Ep.*, 48, 1. Ap. Ennod., *incurrere culpam, errorem*, saepissime. Ap. Eugipp., *Vit. Seu.*, 10, 7; *incurrere lepram peccati : poenas incurrere*, 26, 3; *barbarismum me incurrisse*, 85, 20.

Infantes, 86, 27, pass. (quinquies) = *pueri*. Cf. *A. L. L.*, III, 267; VII 75, 97, praecipue p. 97, A. Funck, « Was heisst die Kinder? ». Cf. J. Pirson, p. 257-259. Bis ap. *Anton. Placent.*, Bellanger, *op. laud.*, p. 63. *A sene usque*

ad infantem, pueruli, iuuenes et adolescentes, Valer., *P. L.*, 87, 426 C.

Integer (= francogall. *entier*): *corpus integrum*, 60, 15; *septimanas integras*, 81, 2; *anno integro*, Fructuos., *P. L.*, 87, 1109 B: *annum integrum*, Valerius, *P. L.*, 87, 436 D.

Lapideus, 41, 19. Multa exempla ap. *Gromat. Vet.* Cf. *Form. Aug.*, 63, 40. Hisp. *lapideo* docta, quae nuncupatur, forma habenda est.

Latrunculari, 70, 4. Ex communi forma *latrunculus* recte informatum, deest in *Lexicis latinis*.

Leuare (se), saepissime, cf. supra. *Leuatis manibus*, 63, 3, quod optimi scriptores rectius scribunt, *sublatis manibus*. Verbum pronom. ap. Marc. Empiric. teste Paulo Geyer, *A. L. L.*, VIII, 471.

Lucerna, 72, 9; 76, 16: de quadam specie lampadis agitur. Cf. *lucernae benedictio*, *Lib. Ord.*, 209. Exstat adhuc in ital. hisp., prou. lingua.

Lugubris, 64, 16: *custodiatur, ne quis immundus, ne quis lugubris per ipsam portam transeat;* ubi *lugubris* ueste lugubri indutum significare uidetur. Num ex hac uoce hisp. *lobrégo* defluxerit incertissimum. Cf. Körting, *L. R. W.*, nº 5722.

Luminare, 73, 13, etc. (ter): semper in plurali positum. *Luminar* = *lumen* ter apud Cassian. *Luminaria* pro *cerei* Eugipp., *Vit. Seu.*, 31, 3. Cf. *Form. Senon.*, 217, 38.

Mansio, saepissime (quindecies). Cf. P. Geyer, *A. L. L.*, VIII, 476; G. Groeber, *A. L. L.*, III, 526, ubi haec leguntur: « *Mansio*, gehört mit seinen Weiterbildungen zum gallischen Latein. » Saepissime quidem uox occurrit in gallicis, quos dicimus, scriptores (cf. ap. Marcell. Empir., Geyer, *A. L. L.*, VIII, 526; ap. Fredegar., 109, 10; 160, 28, ubi uere significat francogall. *maison*), sed non raro fit idem apud alios scriptores: *gremio siderearum mansionum*, Valer., *P. L.*, 87, 429 C.: cf. deminut. formam: *paruam mansiunculam, ibid.*, 467 A.

Mittere = *ducere* (*quod mittit Alexandriam*, 41, 6); cf.

50, 1. Alio sensu his locis usurpatum : *mittere murum* (= *aedificare*), 70, 3; *arbor mittet uirgultas*, 42, 16; *nemo manum mittit ad tangendum*, 88, 22. Cf. Bellanger, *Anton. Placent.*, p. 65.

Monstrare pro *ostendere* saepissime.

Morari = *habitare*, 65, 2 : memineris uelim simplicem formam in hisp. tantum permanere : *morar*. Cf. *ouis* (oues) *simul morabuntur*, *Missale Mixtum*, *P. L.*, 85, 110.

Mouere duos sensus praebet : *adducere* et *a loco discedere*. Cf. *mouimus inde*, 52, 2; cf. *inde mouentes*, ap. *Anton. Placent.*, 183, 16.

Musiuum, 76, 20. Cf. Append. Probi : *musiuum non museum*, ed. Heraeus, *A. L. L.*, XI, 305. Cf. Auit. 180, 17 : *musiuo et marmore ornata ecclesia; marmore et museo uariatum*, Gregor. Turon., 50, 1; *moseuo depinxit*, *ibid.*, 238, 5.

Notores loci (qui nouerunt locos), 59, 4; 53, 30. Iam usurpatum antea hoc sensu.

Parere (octies) ubi *apparere* exspectes. Ter ap. *Anton. Placent.*, cf. Bellanger, *op. laud.*, p. 66; *parere* (raro) ap. Idat., *Chr.*, *P. L.*, 74, 747-48.

Paries, 40, 29 (bis). Commune omnibus romanis linguis, sed frequentius in prouinciali lingua et hispanica. Cf. Valer., *P. L.*, 87, 434 A; 455 D.

Paruitas, 45, 17 (*meam paruitatem dignabantur suscipere*). *Paruitas mea*, bis ap. Hieron. *Ep.*, 62, 2; 101, 1. *Paruitas* de persona mediocri usurpatum nouies ap. Ennod.

Perambulare, 76, 25; 44, 14. Frequens ap. *Ant. Placent.* cf. Bellanger, 58, 1.

Pisinnus idem significat quod *paruus*. *Ecclesia pisinna* 52, 18; *pisinni plurimi stant* (*pueruli*), 72, 17; *a pisinno* (= *a puero*?) 49, 23. Cf. Férotin, *in Lib. Ordinum*. *Bizinnina* pro *Pisinnina*, nomen mulieris forma deminutiua, p. XVIII, n. « *Pusillus non pisinnus*, » App. Probi, ed. Heraeus, *A. L. L.*, XI, 322. De uoce copiose disseruit P. Geyer, *A. L. L.*, VIII, 480. Cf. ap. Marcell. Empir. *lacertas pisinnas*, 8, 90; *in pisinno calice*, 26, 34. Multa

eiusmodi uerba apud latinos Hispaniae scriptores inueni, idem non repperi. Cf. ap. Valer. *pusillus*, *P. L.*, 87, 434 D; *pueruli et puelli*, *ibid.*, 448 D; cf. *pusillitas*, *ibid.*, 443 A: *paruulum pupillum*, *ibid.*, 450 B; aduerbium *pusillum*, *Vit. Fructuos.* (Valerius?), *P. L.*, 87, 465 D. *Pusilli infantes* ap. Taium, episc. Caesaraugust., *P. L.*, 87, 414 A. Cf. puer paruulus *minabit* (fr.-gall. *mènera*) eos, *Missale Mixtum*, *P. L.*, 85, 110.

Planities, 56, 8; 42, 1. Ap. Valer., *planities*, *P. L.* 87, 452 B, at *planitiae* (gen.), 454 D. In italica tantum lingua forma ab hoc uocabulo deriuata superstes est.

Plicare : *plicauimus nos ad mare*, 46, 11; *ut plecaremus nos ad montem*, 38, 14; *cum plecarent ciuitati*, 63, 5. Idem quod *appropinquare*, *accedere* significat. Iam animaduersum est (exempli gratia ap. Körting, § s. u.). hunc sensum ibericae paeninsulae dialectos solas hodie retinuisse (idem tamen in antiqua italica et uasconica, prouinciali lingua; cf. Bourciez, *Bulletin hispanique*, 1901. Cf. *Rev. des L. Rom.*, 1902, p. 287). Legitur in *Lege Wisigothorum*, 342, 5; ut iter agentibus *adplicandi* spatium non uetetur. Cf. in antiq. gloss. *accedant : aplekan* et not. *Z. R. Ph.*, XIX, 22.

Potare = *ministrare bibere* (ter) : frequens apud ecclesiasticos scriptores. Cf. Rœnsch, *Ital.*, p. 376, auctore doctissimo uiro Georges, *L. d. W.*, s. u. Cf. Gœlzer, *op. laud.*, 304, 340.

Publicus ager, 49, 28; cf. *publica strata*, Valer., *P. L.*, 87, 448 D.

Pullus = *gallus* saepissime. De hoc uerbo scripsit I. Cornu, *A. L. L.*, XII, p. 186. Idem cum animaduertisset uocem in prouinciali lingua adhuc exstare in eo usu quasi indicium gallicae, ne dicam prouincialis, latinitatis agnoscere uoluit : sed doctum uirum fugit formam ex *gallus* deriuatam in hodiernis Prouinciae dialectis adhuc usurpari. Ceterum uox legitur ap. Idat., *Chr.*, *pullorum cantu ab occasu solis*, *P. L.*, 74, 741-42. At ap. Valerium, *P. L.*, 87, 449 C occurrit : *cum primi galli insonuisset*

canor. Cf. *gallicinium*, ap. S. Fructuos, *P. L.*, 87, 1101 A.

Recedere, id. quod *decedere*, 67, 29. Hoc loco P. Geyer (in *Indicibus* editionis) in medium uocat; *A. L. L.*, VIII, 183; Koffmane, p. 61; Weyman, *Zeitschrift für oester. Gymn.*, 1894.

Recessus (mors), 51, 21.

Resumere (se) = *quiescere*, 46, 20, etc.. Cf. ap. Chir., 50, 4 (« sich erholen » versum ab editore). *Se reficere* ap. Valer., *Epist* in *Rev. Quest. hist.*, XXXVIII° anno, p. 385.

Rugitus et mugitus, 74, 2; 85, 16; 87, 4. Has uoces semper coniunctas ap. Etheriam inuenias. Cf. *rugeto* (= *rugitu-s*), ap. Fredegar., 125., 11. Cf. P. Geyer, *A.L.L.*, IX, 300. Alterum allitterationis exemplum hoc loco : « tantum tonitruum et fremitum terroris et tremoris commouit, » Valer., *P. L.*, 87, 445 B. *Ruitus* in *Lib. Ord.*, 114, 6.

Sella, 39, 18. Iam ap. Veget. auctore Georges, *L. d. W.*, s. u. Ibid. exempl. Sidon. Apollinaris. Adde *Coll. Sangall.* in *Form. Merouing.*, 412, 15.

Septimana, 80, 8; 81, 2, etc. Promiscue cum * *hebdomada* usurpatur; duae formae ex utraque latina forma deriuatae nunc quoque in hispanica lingua exstant. Cf. Marc. Empir., 270, 33, Chabert, p. 49.

Specialis, 38, 27; 38, 17; etc. Quattuor exempla ap. Auit., septem ap. Ennod. Cf. Mar. Vict., I, 20, etc.; *speciale quoddam* ap. Taium, ep. Caesaraug., *P. L.*, 87, 415 C.

Stare, cf. supra, p. 89.

Strata, 82, 6. In omnibus romanis linguis, excepta dacica, superfuit (fr.-gall. prisc. *estrée*). Iam in *Itin. Burdigal.*, 25, 2 (anno 333 conscriptum); cf. *ad stratas sedeant*, Theodos., p. 144, 5; Gregor. Turon., 781, 786. *Strata publica* in *Form. Merkel.*, 242, 13. *Strada* publica in *Chartis Merouingicis* (anno 670), ap. Bourciez, *op. laud.*, p. 27. Cf. *Strata publica*, Valer., *P. L.*, 87, 448 D. *Strata* et *strada* occurrunt in Charta in Asturia anno 780 scripta : Gorra, *Lingua e lett. spagn.*, p. 177. Cf. denique Bellan-

ger, *op. laud.*, p. 55-56 : ubi, scriptor dum fortunam uocis in « germanicis » linguis commemorat, de romanis mirum quantum silet.

Subdiuanus locus, 81, 4. Communis forma *subdialis*, *subdiualis:* falso *sanctus* uersum a docto uiro Bechtel.

Subire (montem), 38, 28, 29, etc. = *ascendere*. Passiu. *subiri*, 53, 11. Animaduertas quaeso uocem hunc sensum in hispanica et lusitana lingua seruauisse. (Item in dacica, et rarius in italica, cf. Körting, *op. laud.*, s. u.)

Sublinteatus, 88, 7.

Subuersio ruinarum, 54, 17. Iam ap. Arnobium, si Paulo Geyer credas, Vollmöller's *Jahresbericht*, V, 82. Cf. *post subuersionis commonitionisque naufragium*, Valer., *P. L.*, 87, 443 C. *In atrocissima subuersionis mittitur uastatione*, Valer., *ibid.*, 444 C.

Summitas (montis), 38, 18, etc. Concretum frequens ap. Hieron. Cf. Gœlzer, *op. laud.*, p. 114. Cf. Valer., ap. *Rev. Quest. hist.*, XXXVIIIe anno, p. 384. *Summitas catenarum*, id., *P. L.*, 87, 434 C.

Sua (reuerti *ad sua*, 63, 27). Cf. ap. Fredegar. *redire ad propria*.

Temporius (adu. in comparat.), 85, 22. Iam hanc formam ap. Nepotem (*Fragm.*) et Colum. occurrere adnotat s. u. *tempus* Georges, *L. d. W.* Ab adiectiuo *temporium* deriuare fr.-gall. uet. *tempoire* demonstrauit A. Thomas, *Ess. Phil. fr.*, p. 89.

Tendere (se) = *ire, accedere*, 60, 10; 58, 3, et saepissime.

Testimonia... qui, 97, 8, idem quod *testis*. Deriuata exstant in fere omnibus romanis linguis, sed in hispanica et lusitana duae occurrunt formae : ex *testimonium* abstracta uox est informata (uelut fr.-gall. *témoignage*), ex *testimonia* autem concreta (uelut fr.-gall. *témoin*) : equidem hoc loco quasi indicium esse hispanicae latinitatis non omnino negauerim : sed italicam quoque lingua eandem formam praebere memineris.

Terrola, cf. supra, p. 5. *Negrola* propositum est in *Lit. Centralblatt*, 1900, c. 51.

Turba (multitudo), 73, 2, al. Cf. multa exempla quae collegit Cramer, *A. L. L.*, VI, 375.

Vado duodecies occurrit. Cf. *uadunt se*, quod similius est hisp. *vanse* quam fr.-gall. *s'en vont*.

Vale (faciens *uale*), 69, 1. Cf. Ennod. *uale ergo dicens*, 64, 15; 380, 6; 340, 20. *Valefaciens*, ap. Fructuos., *P. L.*, 87, 1099 C. *Valefactio*, *Lib. Ord.*, c. 108.

Vexare (milites), 50, 2. Cf. 49, 9. Cf. *vexare = bellum facere* ap. Idat., ad annum 446.

Vicus, 58, 10, *in ipso uico, id est in ecclesia;* explicatur, 48, 9 : *come grandis quod nos dicimus uicus*. Cf. Valer., *P. L.*, 87, 457 A.

Vigilare, 71, 16, id. quod *surgere*.

Villa, 67, 14. Cf. Gœlzer, *Lat. de saint Jérôme*, p. 272.

Vineae quae dant balsamum, 50, 4, ubi *uinea* impropric scriptum esse uidetur. *Vineis et arboribus habundans uallis*, 56, 6, ubi *uinea* pro *uitis* ponitur. Hisp. hod. *vit* ex *uitis*. Ap. Valerium duae formae promiscue ponuntur : *uineas, P. L.*, 87, 454 B, at *uitium contexta palmitibus, P. L.*, 87, 450 D. *Vinea* saepissime in *Lege Wisigothorum*, *uitis* semel; cf. ed. Zeumer, *Ind*.

Visio = fr.-gall. *visite*, 66, 12.

Vitreus (candelae uitreae), 73, 5.

CONCLVSIO

Cum hactenus, in singulis grammaticae partibus, quae Etheriae peculiaria esse uiderentur diligenter pro parte subnotauerimus, operae forsitan pretium sit quae adhuc quasi disiecta dispersaque iacent in unum congerere. Ita exempla quae quandam uim tenent in meliore lumine tum collocabimus, tum ex his collectis iterumque perpensis certam conclusionem informare conabimur. Quid enim sit Etheriae et nonnullis eiusdem temporis scriptoribus commune, quibus rebus sermo eius distingui possit, quanti sint momenti hae nouae res ad hispanicam quam dicimus latinitatem melius noscendam, hoc nouum et ultimum opus aggressuri sumus.

Quae adhuc scripsimus si quis attente perlegerit et idem romanarum linguarum scientiam uel modicam tenuerit, haud difficile animaduertet non omnia quae obseruauimus in romanas linguas transiisse; multa, euoluentibus annis, omnino euanuerunt. Quid uero in hispanicam proprie transiit?

Multa quidem in *Peregrinatione* desiderantur quae ad rem explanandam essent utilia. Breuis enim cum sit libellus, non pauca uel uerba uel uerborum coniunctiones desunt. Sed, ut ad « phoneticam » redeamus, hoc unum, in ea parte, pro certo habendum est scripturam codicis cum reliquis eiusdem temporis monumentis Hispaniae, et in

primis cum inscriptionibus, satis congruere et quodam modo exacte pronuntiandi rationem qua Etheria usa sit reddere. Quod ad singula spectat, iam adnotatum est litterulam *i* uocis *siricum* (pro *sericum* scriptae) in hisp. *sirgo* superesse. *B* pro *u* scriptum in quo forsitan facilius indicium hispanicae latinitatis admittas in *Africitate*[1], quae dicitur, saepissime occurrit nec ab eadem scribendi (uel potius pronuntiandi) ratione Galli Italiue, ut Pirson nuper animaduertit[2], abhorruerunt. *S* semel euanuit, cum ex duobus reliquis exemplis parum concludere liceat[3]. Hae autem litterarum mutationes tenuiores et rariores sunt quam ut ex iis aliquid certi consequi possimus.

Si nunc ad nominum, pronominum, uerborum formas uenerimus, hic quoque pauca apparebunt quae aliquid uere hispani denuntient. Quid enim frequentius, ut de declinationibus tantum loquamur, quam accusatiui ablatiui confusio e confusis terminationibus orta? Iam uero non in Hispania tantum sed ubique *m* illo tempore obmutuisse ex monumentis constat. Ne ablatiuis tertiae declinationis in *i* terminatis offendaris, commemorandum eos in quauis regione ubi tunc latine loquebantur fusius occurrere[4]. Forma una *uirgulta* hispanicum uel etiam asturicum redolere nobis uisa est[5].

Quod ad pronomina attinet formis *hii*, *hiis* uidentur « galli » scriptores libentius quam ceteri uti : uelut Gregorius ;

1. K. Sittl, *op. laud.*, p. 69 : « erscheint *V* durch *B* in afrikanischen Inschriften ungewöhnlich häufig ersetzt. » Cf. *ibid.* notum locum quo Isidorus Hispalensis declarat formas *boluntas*, *bita* omnino esse reiciendas.

2. *Op. laud.*, p. 63 ; cf. *ibid.* multa exempla litterae *b* pro *u* positae et uersa uice.

3. Cf. supra, p. 15. Idem in Gallia factum est ; cf. tabulam quam Pirson sagacissime confecit, *op. laud.*, p. 103 : « Le nombre des graphies sans *s* et sans *t* n'est nullement inférieur à celui des autres provinces, et il faudra encore renoncer à trouver sur ce point une différence locale. »

4. Cf. Pirson, *op. laud.*, p. 121 ; Neue, *Formenlehre*, II, p. 139 sqq.

5. Formam *corpo* pro *corpore* (cf. *supra*), iam hispanicam esse omnibus consentaneum ; sed utrum menda ab Etheria an a librario sit admissa plane incertum.

6. Bonnet, *op. laud.*, p. 387.

et Fredegarius[1]. Sed apud hispanicum scriptorem Priscillianum[2] eadem forma nouies legitur.

In uerbis hae formae in primis offendunt quae pro *-unt* in *-ent* exeunt. Qua in confusione indicium hispanicae latinitatis equidem libentius uiderim.

In uocabulis informandis fere nulla quibus aliquid certe hispanici inesset subnotauimus. Quin immo *-ulus* pro *-ellus*, quae forma in romanis linguis superfuit, priore fere omnino amissa, frequentius occurrit. Suffixas litteras *-inus* in hodierna asturica dialecto haud raras esse constat, sed raro eiusmodi uocabulis Etheria usa est.

In comparatiuis informandis nunquam *magis* usurpatum est: quod frequenter, ut hispanicum usum praenuntians, haud immerito exspectes.

In *Syntaxi* quoque pauca excerpere licuit quae ad hispanicam latinitatem pertinere uiderentur; quin immo nihil in syntaxi nominum; plura quidem in pronominum syntaxi occurrere dicas; sed recorderis uelim *aliquanti* pro *aliquot* in omnibus fere regionibus, intereunte lingua latina, fuisse usurpatum, neque in usu pronominum *ipse, iste,* uel etiam *suus*, quicquam inueniri quod certo hispanicum esse affirmes.

Multa quoque in syntaxi uerborum quae hispanicam praenuntiare linguam facilius credas communia romanis esse linguis demonstrauimus. In uerbis *stare, sedere, tenere,* saepissime usurpatis, sicut in pronomine *se* uerbis postposito aliquid peculiare libentius admiserim; item quod ad usum *futuri exacti* spectat.

Deinde in praepositione *cata*[3] et in coniunctione *qua* saepius posita certius esse indicium hispanicae latinitatis nemo est qui merito neget.

1. Cf. exempla quae protulimus, *Rev. Phil. fr.*, 1900, p. 5.
2. Cf. *A. L. L.*, III, p. 316.
3. *Cata* etiam in prouinciali, quae nuncupatur, lingua superesse adnotauimus. Item quod ad nonnulla alia uocabula attinet. Sed multa utrique linguae, prouinciali et hispanicae, esse communia iam diu, iis quidem qui his linguis studendis operam dederunt, compertum.

Si denique nonnullas uoces, uelut *commorari* (hisp. *commorar*), *morari* (hisp. *morar*), *plicare* (hisp. *llegar*), *subire* (hisp. *subir*), hispanicam iam linguam denuntiare admittere uelis, tibi subeat animum *mansionem* quoque, *pullum, consuetudinarium*, quae adhuc indicia gallicae latinitatis habita sunt, occurrere.

Quid ex his rebus sit concludendum nunc paucis explicemus. Primum omnium ne mireris paucissima exstare in sermone quo Etheria usa est quae originem scriptoris denuntient : doctus enim uir Carnoy cum omnes inscriptiones Hispaniae quae in uariis « corporibus », quae dicuntur, prolata sunt accuratissime perpendisset, in eis aliquantula tantum discrimina animaduertit quibus harum inscriptionum lingua cum lingua ceterarum latinarum non congruere uideretur.

Peculiaria tamen inesse sermoni *Peregrinationis*, in quaque grammaticae parte, quis negauerit? Quaedam tamen ea esse uidentur quae ueri similibus rationem quandam dicendi humanissimae illi mulieri propriam quam dicendi rationem hominum qui in eadem regione qua ipsa fuerunt denuntient.

Fit quoque ut multa nihil aliud quam neglegentiorem scribendi rationem indicent. Quemadmodum loqui solebat Etheria, sic scripsit, omni politioris scribendi generis cura remota. Multa quae lectorem offendunt nulla alia ex causa procedere uidentur.

Quodsi aliquid iam hispanici libello inesse admittere uelis, cauendum ne in eo indicia linguae quasi iam praeformatae requiras. Discrimina qualia nunc in romanis linguis exstant posterius demum obseruare licet. Sed cui non liquet scriptores qui octauo, uel etiam septimo post Christum saeculo latine scripserunt magis ac magis lingua scripta, non iam pronuntiata usos esse? Incunabula linguarum romanarum in scriptis surripere rarius contingit, quippe quae primum obscurissimorum hominum ore sint

informatae. Quo tempore Etheria uixit linguam latinam in Asturia sucum satis tenuisse constat : nulla neglegentior ac barbarior lingua, quam iam hispanicam dicas exstitit. Latine loquebantur, latine scribebant. Si quis *Peregrinationem* monumentum hispanicae latinitatis dicere uelit, necesse est sensum uerborum stricte definiat ac restringat.

VIDI :

Die III mensis Aprilis anni MDCCCCV

Facultatis Litterarum in Vniversitate Parisiensi Decanus,

A. CROISET.

TYPIS MANDETVR,

Academiae Parisiensis Rector,

L. LIARD.

INDICES VERBORVM

I. INDEX GRAECOLATINVS [1]

1. His indicibus non continentur uocabula de quibus in tertia parte *(De Vocabulis)* diximus: illic ea inquiras quaeso.

II. INDEX ROMANVS

Italicum.

Prouinciale.

INDEX RERVM

BURDIGALAE. — EX TYPIS G. GOUNOUILHOU, VIA DICTA GUIRAUDE, 9-11.